

05

A

2059





Disputatio Theologica
De
HÆRETICIS,
ET QUOMODO
SINT COER-
CENDI.

*Publicè proposita in Academia
Vitebergensi*

FRIDERICO BALDUINO
SS. Theol. Doctore & Profes-
sore publico, Ecclesiæ P. & S.

Respondente

M. NICOLAO ALBANO
Rudolpho Politano,

a. d. 29. Ianuar horis & loco solitis.

VVITEBERGÆ,
Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.
ANNO M. DC. VIII.




05 A 2059



Illustri & Generosissimo Co-
miti ac Dn.

Dn. CAROLO GÜNTHERO,
Sacri Romani Imperij Quatemviro, Comi-
ti à Schwartzburg & Honstein, Domino in Arnstad,
Sundershusâ, Leutenberg, Lohra, Klettenberg, &
Capituli Walckenrödensis Administrato-
ri, &c. Domino suo Cle-
menti.

Salutem & pacem à CHRISTO JESU.



Drianum IV. Pontificem Roma-

num dixisse refert Onuphrius in vita Marcelli II. Romano Pontifice neminem esse miserabiliorem, conditione eius nullâ miseriorem, Monstri simile videretur hoc, nisi ab ipso Pontifice pronunciatum esset, cui post plurima vitæ Pontificalis experientia libenter hoc in genere fidem habemus etiam non jurato. Quid enim vel miserabilius vel miserius eo (ut cætera taceam) cuius symbolum est, VI & FRAUDE; quicq; nihil ex bonâ conscientia agit, sed omnia juxta grecum versiculum, ἢ δολεῖ ἢ βίη ἢ ἀμφοτέρων ἢ κρυφαῖον. Fraudium & imposturarum emblemata jampridem eius fronti impresserunt præcipui fidei Romanæ articuli, ad emungendos hominum oculos affabre compositi, de Missa, de Indulgentijs, de Satisfactione, de Auriculari Confessione, de Annatis, Vacantijs, Dispensationibus, Indultis, &c. quibus se Romanus ille mango Simonis illius, non Petri sed Magi successorem satis superq; hæcenus probavit. Quomodo VI defendat, quod malis artibus adquisivit, experientia testatur. Nam legibus sanguine scriptis in eos sævire, quos sua quadam opinione ductus, nominat hæreticos, hæc est, fraudibus & imposturis, impietati & malitiæ curiæ Romanæ contradicentes, non modo bona pars est Religionis Pontificiæ, sed & eius conservandæ nervus inter primos optimus. Quanta verò sit miseria, sanguine innocentum delectari, omnium optimè intelligi potest, si ex solidis scripturarum fundamentis ostendatur, quam alienum sit ab homine Christiano, quemvis promiscuè ut hæreticum diffamare; quanto adhuc alienius,

religionem etiam veram cæde & sanguine humano propagare: nam, juxta Bern-
hardi sententiam, verè nulla maior est miseria, quam falsa letitia. Omnium ergò
miserrimam oportet esse Pontificis R. conditionem, qui non maiori adfuitur letitiâ,
quam cum sanguis eorum funditur, quos ipse, corrupto iudicio, hæreticos proclama-
vit: quo nomine miser ille verè servus servorum fit, hoc est, mancipium omnium dia-
bolorum, quos homicidij parentes esse constat ex assertione Christi. Miserabilem et-
iam esse oportet eum, qui præconcepta quadam opinione pueriliter fasciatus, se
principis Apostolorum successorem jactitat, cum tamè in modo propaganda sedis Apo-
stolicæ, Apostolis per omnia sit contrarius. Isti enim de mortuis vivos suscitabant:
Pontifex autem de vivis mortuos facit, quod hæreticorum proprium esse dicebat
Tertullianus de præscript. hæret. Quod igitur in hypothese reprehendimus in Pontifi-
ce Romano, quod quosvis sibi contradicentes pro hæreticis habet, eosq; exquisitissi-
mis supplicijs è medio tollere solet, id *ὡς ἐν Ἰεσοῦ* in hac disputatione refutavimus:
& quis juxta verbi divini ductum pro Hæretico propriè sit habendus, quomodoq; co-
hercendus sit, prælucente scripturæ divinitus inspiratæ pharò, & Βασανιστορικῶς
λόγῳ ostendimus. Qua quidem in nobili controversia, Illustris & Generose Comes,
Domine gratiosissime, exercere volui Virum Ornatissimum Dn. M. Nicolaum Al-
banum, Illustris Tuæ Generositatis alumnum, ut intelligat I.T.G. sumtus à se in
hunc Magistrum hæctenus, *πρόνι*, quod aiunt, *πύρε* effusos, non malè collocatos,
sed ei datos esse, qui fructum eorum cum scœnore non pœnitendo patriæ aliquando &
Patriæ Patri, hoc est, Generositati Tuæ reddere feliciter studeat. Quo in genere
ipsum spe sua non frustratum iri confido; eoq; nomine ipsum I.T.G. tanquam Heroi
pio & studiosorum pietatis amantissimo, verèq; Religionis Christianæ Nutritio
ac Defensori eximio, de meliori nota commendo, & ut hanc compellationem meam
æqui boniq; faciat, etiam atq; etiam oro. Deus præpotentissimus I.T.G. cum Domi-
nis Fratribus & laudatissimis suarum ditionum Ecclesijs diu salvam præstet & in-
columem. D. VVitebergæ a. d. 22. Januar. Anno Christiano 1608.

I. T. G.

addictiss.

Fridericus Balduinus D.



T H E S E S

De Hæreticis & quomodo sint coercendi.

I.

Proprium Antichristi munus est, non tantum veneno doctrinæ animas hominum occidere, verum etiam contradicentes sibi tanquam hæreticos diffamare, & ad rogum atq; triremes condemnare: imitatur enim opera patris sui, quem spiritum mendacij & homicidij appellavit Christus Salvator noster, Joh. 8, 44.

II.

Hinc Sulpitius Severus historiæ sacræ conditor, aperte scribit, Antichristi hanc futuram notam, persecutiones exercere Nam lib. 2. historiæ sacræ ominatur persecutionem Ecclesiæ nullam fore, nisi eam, quam sub fine seculi Antichristus exercebit.

III.

De Antichristi persona, moribus, doctrina, potestate, regno, quid sentiant Papicolæ, hoc est, isti homines, qui ubera Antichristi sugunt, & ut dilectissimi filij in sinu eius foventur, alibi vidimus: nunc operæ pretium nos facturos judicamus, si in illud Antichristi jus, quod habere sibi videtur in eos, quos odioso hæreticorum titulo persequitur, ex scriptura non nihil inquiramus.

IV.

Ita verò comparata est hæc controversia, ut non tantum quæstio sit de ijs, quos Romana Synagoga proclamavit hæreticos, quorum potissima pars ut genuini Christi Apostolorumq; discipuli non tantum malè audire, sed & mala pati propter Christum, didicerunt: Sed de omnibus omninò, qui non ex Cardinalitij Senatus consulto, nec ex Romanæ plebiscito, sed ex verbi divinitus patefacti decreto hæretici fuere æstimati.

A 2

V. De

V.

De his igitur quæritur : Utrum, quatenus sunt hæretici, à Magistratu ultimo, eoq; capitali supplicio, affiendi sint? in qua quidem quæstione, ut in plerisq; alijs, Pontificijs adfirmativam *ταὶν ἀμφοῖν* amplectentibus stilo & pilo suam addicunt operam Sacramentarij, qui non modo scriptis, sed ipso facto suum cum Romana cohorte hac in parte consensum jampridem comprobarunt.

VI.

Extant enim in publico Calvinii, Bullingeri, Bezzæ & aliorum huius farinae scripta, quibus hæreticorum eadem non modò approbant, sed & Magistratui suadent : nota etiam sunt supplicia de Pontificijs in Gallia & Flandria sumta, ita ut ferè dubitem an non nimis verè scripserit Bellarminus lib. 3. de Roman. Pontif. capit. 7. inquisitionem hæreticorum Papisticam apud Calvinianos non persecutionem, sed bellum civile potius appellari posse; siquidem juxta Augustini doctrinam epist. 80. ad Hesyeh : in persecutione Antichristi solis Ecclesiæ filijs futura sit tribulatio, non autem eorum persecutoribus.

VII.

Non igitur cum Antichristi solùm Satellitibus nobis de hac quæstione controversia est : sed & cum alijs quibusdam, qui alias in acie contra Antichristum primi esse volunt; contra quos ancipiti verbi divini gladio pugnare maximoperè prodest, partim ad Ecclesiæ Christi dignitatem, partim etiam ad veram Magistratus Christiani autoritatem adserendam.

VIII.

Ut autem ordine progrediamur, hæc tria distinctis capitibus pertractabimus, 1. qui sint illi hæretici, de quibus nobis sermo est. 2. Utrum à Magistratu sint puniendi. 3. & deniq; de modo, quomodo coherceri queant, pauca subijciemus : ita enim fore speramus, ut neq; innocentes gravare, neq; hæreticis patrocinari, neq; etiam Magistratus autoritatem imminuere videamur.

CAP.

C A P. I.
Quid sint Hæretici?

IX.

Primam quæstionem quod attinet, rectè omninò sensit D. Augustinus in epist. ad Quodvultdeum tom. 6. fol. 6. difficile esse definire, quid sit hæreticus: quantò verò difficilius hoc est, eò magis temerarij sunt Romanenses alastores, qui audito saltem nomine hæretici, sub isto prætextu quemlibet ad flammam & tormenta rapiunt.

X.

Sunt, qui nimis generaliter hæreticum eum esse dicunt, qui ritè admonitus non obtemperat: atq; his hæretici ijdem sunt cum pertinacibus: sed rectè obijcitur ita sentientibus, hac ratione regiones atq; civitates integras, imò singulas familias hæreticorum plenas esse; ubiq; enim reperiuntur, qui non obtemperant: inobedientia igitur non facit hæreticum.

XI.

Sunt, qui pertinaces in moribus, ut avaros, scurras, ebriosos, luxuriosos etiam inter hæreticos, per magnam ἀκυρολογία vocabuli, referunt: pertinaces autem in doctrina rebusq; spiritualibus propriè hæreticos appellant. Verùm nulla in moribus est hæresis, licet in hæresi plerumq; concurrant vitia morum, ut ambitio, ira, invidia, &c. ideò delinquentes in moribus *facinorosi* nominantur, non *hæretici*, neq; propriè, neq; impropriè.

XII.

Vulgò in Papatu pro hæreticis habentur, & ut hæretici ad rogum abripiuntur, quotquot Ecclesiasticæ constitutioni à Papa sine verbo introductæ, obtemperare detrectant, ut qui vescuntur carnibus die prohibito, qui Missam audire nolunt, qui S. Biblia legunt sermone præsertim vernaculo, cum rasi & uncti non sint, cuiuscunq; aliàs sint conditionis homines, docti vel indocti, firmi vel infirmi. Sed violatio constitutionis humanæ, quæ non est contra Dei verbum, inobedientem quidem facere potest, non autem hæreticum;

ticum; quod si constitutio Verbo quoq; est contraria, ne inobedi-
entem quidem: Oportet enim Deo plus obedire, quam hominibus,
Act. 5, 29.

XIII.

Sunt etiam, qui quoscunq; religionis Christianæ adversarios hæ-
reticos appellant, sive sint extra Ecclesiam, sive in ea. Sed hæreticus
dici non potest, qui extra Ecclesiam vivit, quales sunt hodierni Ju-
dæi & Turcæ, & omnes, qui Christi nomē nō agnoscunt: hi enim in-
deles potius dicendi sunt, quam hæretici: quemadmodum Augusti-
nus eos, qui Christianæ fidei contradicunt, in duas classes distinguit:
*aut enim omnino (inquit) à Christi nomine alieni sunt aut hæretici, in Enchirid.
ad Laur cap. 4.* alienos illos alibi paganos vocat, qui sunt extranei &
foris à nobis; alij non, ut hæretici, lib. 1. contra Crescon. cap. 10. &
11. planè ut Apostolus Paulus distinguit inter eos, qui foris sunt, & ci-
ves Ecclesiæ, 1. Cor. 5, 12.

XIV.

Itaq; hæretici in Ecclesià visibili reperiuntur, quia per initiati-
onis sacramentum in eam recepti, quemadmodum in Ecclesia Co-
rinthiorum erant, qui resurrectionem mortuorum in dubium vo-
cabant, & circa negotium Sacros. cœnæ abusus quosdam invehe-
bant: unde & Apostolus ad Corinthios scripsit, quod inter ipsos
hæreses esse oporteat, nimirum propter Satanæ malitiam, & homi-
num lasciviam 1. Cor. 11, 19. Et de Antichristo homine omnium
hæreticissimo scriptum est, quod sessurus sit in templo Dei, id est,
in Ecclesia. 2. Thessal. 2, 4. Et ad Ephesios dicit Apostolus Act. 20,
13. Ex vobis ipsis surgent viri loquentes perversa: ut nihil dicam,
quod Deus passim populum Hebræorum, quantumvis impium &
idololatricum nihilominus appellat suum populum. Esa. 1, 3.
Jerem. 2, 11.

XV.

Quod etsi communiter negant & magnis viribus oppu-
gnant Pontificij, est tamen inter illos non contemnendæ notæ
scriptor Alphonsus de Castro, qui lubens in hanc nostram de-
scendit sententiam, imò plus quam par erat, concedit his verbis
libro 2. de justâ hæret. punitione, cap 24 *Ego quidem fateor, & meo quidem
judicio negari non potest, hæreticum esse partem Ecclesiæ, & membrum illius, &*
non

non esse omnino ab illa separatum: quia etsi fidem non habeat; habet tamen
characterem baptismalem, quo durante, semper eris membrum Ecclesie.

XVI.

Plus, inquam, quam par est, concedit: hæreticos enim non tantum partem, sed & membra Ecclesie esse scribit. De parte enim concesserim, de membris non item: Sunt enim hæretici membra Satanæ: Sicut orthodoxi sunt interdum partes Ecclesie falsæ, in qua vivunt, non autem membra: Sunt enim membra Christi. Sufficit tamen ipsum negare non posse, hæreticum in Ecclesia esse.

XVII.

Hæretici igitur sunt, qui errant circa fidem Christianam in Ecclesia: non autem omnes errantes sunt hæretici: error enim latius patet, quam hæresis. Vel ut Augustinus loquitur præfat. libri de hæres. *non omnis error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non possit.*

XVIII.

Reperiuntur enim inter Ecclesie doctores, qui in interpretandis scripturis à vero sensu aberrant, quos inter hæreticos referre non possumus: quia donum prophetie non datum est omnibus; Sed divisiones donorum sunt, idem autem spiritus: alij datur prophetia: alij Spirituum discretio, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum 1. Cor. 12, 10. ideo spiritus Prophetarum prophetis subiecti esse jubentur, 1. Cor. 14, 32.

XIX.

Sunt alij, qui ex simplicitate errant ab alijs decepti, vel in errore nati, sine ulla malitia aut blasphemia, quiq; adhuc audiunt meliora docentes, neq; errorem suum propagare audent: hi non hæretici, sed seducti aut credentes hæreticis appellari possunt, quod discrimen à nostris olim edoctus hæreticæ pravitatis inquisitores nunc nuper docuit novitius aulae Romanæ adulator & Ecclesie malignantium hyperaspistes in suo hypobolimæo.

XX.

Hos Augustinus à crimine hæreseos absolvit epist. 162. his verbis: *qui sententiam suam quamvis falsam atq; perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumtionis suæ pepererunt, sed à seductis atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt, querunt autem cauta solitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.*

B

Sunt

XXI.

Sunt præterea, qui errore suo non impingunt in fundamentum articulorum fidei, sed fundamento (quod est Christus cum omni suo merito) illibato retento, superædificant scænum & stipulam; quorum opera fidemq; tandem ignis tentationum probat, ut Paulus 1. Corinth. 3. loquitur, qualis erat error Apostolorum de regno Christi in hoc mundo: error Cypriani de rebaptisandis ijs, qui baptisati erant ab hæreticis: hos verò in catalogum hæreticorum referre religio est; hæretici enim aliud fundamentum extra Christum quærunt: hi verò fundamento vero opinionum suarum stipulas superimponunt; Idcirco D. Augustinus de seipso dicit: *Errare possum, hæreticus non ero*, de quibus plura vidè apud Lutherum nostrum libro de concilijs, Tom. 7. Jenens. German. fol. 232. b.

XXII.

Sunt denique, qui scandala turbasq; excitant in Ecclesia, qui tamen in fide non errant, quales erant olim in Corinthiaca Ecclesia, quorum aliqui Cephæ, aliqui Apollo, aliqui Pauli auctoritatem jactabant: hi etiam non dicendi sunt hæretici, sed schismatici, quanquam schisma, si invaluerit, in hæresin degenerare possit. Unde Augustinus hæresin inveteratum schisma nominat, lib. 2. contra Crescon: Grammat. cap. 7.

XXIII.

Aliàs oportet discrimen relinqui inter hæreticum & schismaticum, quod eleganter indicavit Augustinus lib. de fide & symbolo cap. 10. *Hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant, schismatici autem discissionibus iniquis à fraternâ caritate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus.*

XXIV.

Cum ergo constet, quis pro hæretico habendus non sit: jam inquirendum restat, quid sit hæreticus, ubi fundamenti loco sciendum est, nos hæresin quærere non in solâ voluntate; aliàs crimen hoc tam atrox scelus potius esset, quam hæresis: sed in intellectu & voluntate hominis: nam error in hæresi ad intellectum, pertinaciâ ad voluntatem pertinet: non in rebus humanis, sed divinis; aliàs Ethnicis etiam commune esset extra Ecclesiam: hæreticum autem

in

in Ecclesia reperiri diximus: non in occulto, sed aperto; aliàs fieret hypocrisis: non deniq; in infirmitate, sed pertinaciã; aliàs sanctis etiam impingeretur hæreseos nota, quia absq; infirmitate non sunt, Prov. 24. Psal. 32. Iac. 3. Sed hæresin dicimus esse sententiam humano sensu electam, scripturæ sacræ contrariam, fundamentum fidei convellentem, palam in Ecclesia edoctam, & pertinaciter defensam.

XXV.

Hæreticum autem definimus, quod sit persona, intra gremium Ecclesiæ, quæ articulum aliquem in fundamento fidei pertinaciter impugnat, dissensiones ac offendicula in Ecclesia parit, & in opinione sua, quantumvis sæpius monita, nihilominus contumaciter & malitiose perseverat.

XXVI.

Hinc quinq; oriuntur hæretici *de concilio*. 1. ut error hæretici sit de causa religionis. 2. ut error directè in ipsam fidei substantiam seu fundamentum impingat, sive noviter introductus sive ab alio edoctus sit. 3. ut sit error malitiosus. 4. ut Ecclesiæ unitatem periculoso scandalo scindat. 5. ut aliquoties repræhensus hæreticus nihilominus errorem obstinatè & pertinaciter defendere pergat.

XXVII.

Primum requisitum ab hæreseos crimine absolvit delinquentes in moribus, qui quidem mortaliter peccant, excutientes fidem & Spiritum sanctum, nondum autem sunt hæretici, quia contra fidei doctrinam nihil moliuntur: hæreticos autem describit Apostolus, quod contra doctrinam dissensiones & offendicula faciant. Rom. 16, 17. & quod à veritate aberrant, 2. Tim. 2, 18.

XXVIII.

Secundum requisitum absolvit eos, qui in unitate fidei persistentes in circumstantijs quibusdam fidei suis opinionibus privatim indulgent, & à veritate aberrant, quales erant Apostoli ante resurrectionem Christi, quos in multis errasse nemo inficias iverit, hæreticos fuisse nemo dixerit.

XXIX.

Tertium liberat à suspitione hæreseos infirmos, qui ab alijs seducti falsam doctrinam putant esse veram, quam etia pro virili defendunt,

fendunt, magno quidem zelo, interdum etiam ad mortem usq; , sed
ζηλοῦ prorsus ἀζηλοῦ, quiq; non est κατ' ἐπιγνοσιν, sed ex vana persuasione
ortus, ac proinde diligenti informatione emendari potest, quam si
non admittunt, paulatim in hæreticos degenerant: hæretici autem
malitiosè peccant; vel quia errorem fateri turpe putant, vel quia
autoritatem & alia commoda perdere molestum est.

XXX.

Quartum ex societate hæreticorum excludit eos, qui privatas
de fide habent opiniones, quibus ipsi quidem privato cum periculo
indulgent; publicè tamen scandalum nemini præbent, quo referre
potes Gamalieleum illum Act. 5. & multos hodiè politicos. Tales pe-
r culosè errare certum est, hæresin autem facere nemo sanus adfir-
maverit: de hæreticis enim scriptum est, quod seducant ipsi alios,
2. Tim. 3, 13; quod inducant sectas exitiales 2. Pet. 2, 1. quod non tantùm
ipsi à veritate excidant, sed & aliorum fidem subvertant. 2. Tim. 2, 18.

XXXI.

Quintum deniq; separat ab hæreticorum consortio eos, qui
quidem ad tempus pravis opinionibus imbuti sunt, sed tandem Deo
dant gloriam, & moniti claritate lucis cœlestis omnes errorum te-
nebras dispellunt, hæresi valedicunt, & ad gremium veræ Ecclesiæ
redeunt: tales enim D. Augustinus non tam hæreticos, quam errantes
nominare voluit lib. 3. de baptis, cap. 19. cum vera enim hæresi perti-
nacia semper conjuncta est.

XXXII.

Ex his omnibus patescit, 1. non unum vel alterum duntaxat
ἀποκριματικῶν, sed omnia junctim sumpta verum constituere Hæreticum.
2. Cum de perseverantia in errore loquimur, propriè sermonem es-
se de hæresiarchis seu pravæ sectarum autoribus, ex quibus ul-
lum in viam revocatum esse vix doceri potest: licet discipuli, ab ipsis
seducti, interdum, Deo largiente virtutem, conversi fuerint.

XXXIII.

Sunt autem hæretici, prout jam descripti sunt, in duplici dif-
ferentiâ. Quidam enim opinionem contra Dei verbum vel à se
excogitatam, vel ab alijs haustam, quacunq; de causa docent, vel
honore & ambitione ducti, vel inveterata errandi consuetudine
moti: attamen vel tandem sæpius moniti & meliora edocti, er-
rorem, in quo etiam diu perstiterunt, deponunt.

XXXIV. Alij

XXXIV.

Alij pertinaciter in errore persistunt, licet convicti sint, & errorem scripturæ contrariū esse audiant & intelligant; ipsi tamen neminem audiunt, quam seipfos, factiones in Ecclesia vel ipsi movent, vel motas ab alijs fovent: de quibus Apostolus Paulus scribit, quod sint proprio suo iudicio condemnati Tit. 3. quod habeant cauteriatam conscientiam 1. Tim. 4, 2. quodq; repulsa conscientia naufragium faciant, 1. Tim. 1, 19.

XXXV.

Illos in priore classe definit Augustinus lib. de util. credendi cap. 1. quod sint, qui alicuius temporalis commodi & maxime gloria & principatus sui gratia falsas ac novas gignunt opiniones vel sequuntur. Hos ita describit lib. 18 de civ. Dei cap. 51. Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumq; sapiunt, si correpti ut sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare pergunt, hæretici sunt, & foras exeuntes habeantur in exercentibus inimicis.

XXXVI.

Contra hanc sententiam de hæreticis malitiosè, nonnullis etiam contra conscientiam in hæresi perseverantibus, obijciunt aliqui: omnem hæreticum duntaxat ex persuasionem aliqua errare, quia nimirum recte sese opinari firmiter credit; & quia mentis oculis captus falsoq; iudicio imbutus, Ecclesiam cui contradicit, non Dei Ecclesiam, sed Satanæ synagogam esse opinatur.

XXXVII.

Primum enim dicunt, quod si quis hæreticorum contra veritatem à se cognitam peccaret, crimen illud non propriè hæresin, sed peccatum in Spiritum sanctum appellandum esse, ut ex locis Hebr. 6, v. 4, & 10, v. 26. constat: ac proinde talem hominem non habere locum pœnitentiæ, neq; pro ipso amplius orandum esse, Iohanne teste 1. Iohan. 5, 16. pro hæretico autem non tantum orare jubet Apostolus, sed & amanter vult ipsum instrui, & patienter ferri, si forte Deus det ei pœnitentiam, ut è diaboli laqueis evadat, à quo captivus tenebatur. 2. Tim. 2, 26.

XXXVIII.

2. Illud Apostoli, *αὐτοκατακρίτων* esse, ita interpretantur, quod peccando suæ sibi condemnationis autores sint hæretici, utpote qui

B 3

Minus Celsus de
her. non interf.
sect. 1. p. 9. & 12.

in recta doctrina sibi deligenda rectè judicasse autument, cum falsam elegerint, proprio iudicio decepti in eam damnationem incidant, quam miseri sibiipsis paraverint imprudentes, in qua etiam persistere velint, ac proinde vitandi tanquam morbi sui, quem non agnoscunt, medicinam omnem respicientes.

XXXIX.

3. Quod si *αὐτοκαταχρηστικῶς* esse idem esset, ac contra conscientiam peccare, ac proinde huiusmodi hominem relinquendum esse; dicunt, Apostolum sibiipsum esse contrarium: qui alibi scribat, hæretico parci debere eumque luci divinæ gratiæ, si unquam ab ea illustrari queat, commendandum esse.

XL.

Hæc Mitiones illi; qui parum abest, quin hæresin in *καὶνομίας* quoddam, aut somnium; hæreticum autem in spectrum aut exanime transforment. Ad quæ singula pauca respondenda sunt: nihil enim sententiæ nostræ officium, si accurate examinentur.

XLI.

Ad primum igitur respondeo per concessionem. Duobus enim modis peccatum in Spiritum sanctum committi potest. 1. quando tota Evangelij doctrina abnegatur & impugnatur contra conscientiam, 2. quando pars una vel altera doctrinæ orthodoxæ semel agnitæ oppugnatur & contumelia afficitur à scientibus, quod hodie nonnulli faciunt inter hæreticos imprimis hæresiarchæ. Et hoc ulterius probari potest.

XLII.

Nam qui contra conscientiam errores suos pertinaciter defendunt, peccati huius gravissimi rei peraguntur duobus nominibus. 1. enim dum falsitatem defendunt, veritatem impugnant, & falsitatis notam ei inurunt: quæ contumelia vergit in Spiritum sanctum, veritatis autorem. 2. scientes adscribunt Satanae eam doctrinam, de qua convicti sunt, quod à Dei Spiritu revelata sit: e contra verò falsitatem & errorem, quem norunt à diabolo esse, non dubitant tanquam verum sub Spiritus sancti nomine venditare, contra testimonium proprii sui cordis.

XLIII.

Necque verò sublevare eos quidquam potest coram Deo, quod aliquas partes religionis puras retinent. Sicut enim qui in unum præceptum

ceptum

ceptum decalogi impingit, fit omnium reus: Sic etiam qui errorem convictus retinet, & contra conscientiam ad Spiritum sanctum autorem transfert, doctrinamq; sanam diabolo adscribit, quam novit a Spiritu sancto patefactam: is jam totam doctrinam Christianam sibi inutilem reddidit, præsertim cum alijs in casibus multo levioribus paululum fermenti totam conspersionem fermentet.

XLIV.

Etsi etiam nemo potest secreta conscientia excutere, & de occultis hæreticorum judicare, num verè convicti sint, & contra proprii cordis testimonium doctrinam falsam defendere pergant; at tamen hoc ita se habere, colligere possumus, ex præeunte una vel altera admonitione, quam requirit Apostolus Tit. 3. qua convincantur ita, ut nihil respondere possint, quod vel speciem veritatis habeat, quin ea etiam species & larva dogmatis hæretici detracta sit: quod imprimis in crassioribus nonnullorum hæreticorum erroribus patet ad oculum.

XLV.

Accedit in his plerumq; semper indurationis malum, cuius inditia satis luculenta sunt, 1. πύρωσις τῆς καρδίας, quâdo nullo planè sensu ducuntur comminationū divinarum. 2. ἀπελγησία, quando nullū amplius dolorem vulneratæ conscientia sentiunt. 3. πνεῦμα καταιήξεως quando partim odio exardescunt, erga benè monentes, partim etiã conflictus patiuntur cogitationum mutuò sese accusantium & defendentium. 4. Sicut διεφθαρμένοι τὸν νῦν, ut vocantur, 1. Tim. 6, 5. & 2. Tim. 3, 8. hoc est, justo Dei judicio omnem judicandi & intelligendi facultatem amiserunt; excæcati prorsus, ut licet millies refutati ad oculum, eandem tamen θέσιν φυλάττειν, crambenq; sæpius recoctâ reponere impudenter pergant: quam ob causam non immeritò, ut homines à Deo rejecti in reprobūq; sensum traditi cavendi sunt.

XLVI.

Quod autem Apostolus informare jubet & patienter ferre hæreticos, si fortè eis Deus det pœnitentiam, loquitur ibi de ἀνελθηθεμένοις, de contradicentibus, qui, nondum perspecta veritatis luce, mentis suæ opiniones opponunt sanæ doctrine, hi erudiendi sunt utiq; & pro ipsorum conversione orandum: quod si verò satis superque manifestata fuerit veritas, ipsi verò non modò non opponere desinant, sed insuper maledicere incipiant, tunc dicit Apostolus: SCITO huiusmodi subversos esse: nam certissima nota est animi pertinacis, & in reprobū sensum traditi, qui ubi locum obtinuerit

1. Tim. 2.

erit, ibi & preces & informatio omnis irrita est, & pœnitentia seria desperata: ideo orandum potius, ut Deus à profanis & absurdis istis hominibus Ecclesiam suam liberet, eodem docente Apostolo 2. Thes. sal. 3, 2.

XLVII.

Ad secundum respondeo per inficiationem. Si enim hæreticus proprio iudicio deceptus tantum esset, utiq; non devitandus, sed potius adsumendus esset, tanquam ex imbecillitate errans, & ex errorum labyrintho in viam veritatis reducendus, juxta illud Rom. 14, 1. infirmum in fide adsumite: jam verò *negare* vitare & rejicere prorsus eum jubet Apostolus tanquam hominem in reprobum sensum traditum, & malitiosè impium, in quo olem & opera sit peritura, 2. rationem addit, cur sit vitandus & rejiciendus, *ὅτι ἐξέστησεν*, quia totus eversus recalcitrat & resistit recta docenti, id quod sanè non infirmi aut depravati iudicij, sed hominis refractarij & malitiosi est descriptio.

XLVIII.

Ad tertium deniq; respondeo per distinctionem. Sic ubi enim Apostolus aliquibus parcendum esse docet, eosq; divinæ gratiæ commendari jubet, non de hæreticis sed de errantibus loquitur, qui dociles sunt, nec meliora docenti pertinaciter resistunt, quando autem rejiciendos aliquos suadet; de hæreticis recalcitrantibus, & pertinacibus, agit, quemadmodum ex collatione locorum modò laudatorum, 2. Tim. 2, 25, Tit. 3, 10. colligere promptum est.

CAP. II.

Utrum hæretici à Magistratu politico sint coercendi?

XLIX.

His ita constitutis: progredimur ad secundum propositi nostri caput, ubi quæritur, numquid eiusmodi hæretici pertinaces ac præfracti nomen Dei blasphemantes, ac in Ecclesia factiones molientes, à Magistratu politico coercendi sint?

L. Ubi

L.

Ubi sanè non defunt non dicam inter Anabaptistas, qui Magistratus jura prorsus tollunt, sed & inter eos, qui melioris notæ videri volunt Christiani, qui hæreticorum punitionem ad Magistratum prorsus non pertinere pugnant, Ecclesiam saltem autoritatem in hæreticos animadvertendi à Christo accepisse, contendunt.

L I.

Verùm res est expedita, si fundamenti loco ponamus ista quatuor: 1. Magistratum esse Dei vicarium in terris, juxta illud: Ego dixi vos dij estis, Psal. 82, 6. 2. Magistratum esse custodem utriusq; tabulæ. 3. hæreticum movere turbas in Ecclesia. 4. Ecclesiam non habere jurisdictionem in corpora aut fortunas hominum.

L II.

Jam verò certum est, Deum esse supremum Ecclesiæ Rectorem, & religionis gubernatorem; ac proinde Magistratui quoq; jus aliquod concessisse in causa religionis: unde etiam habet hunc titulum Magistratus, quod vocatur utriusq; tabulæ custos: officium igitur Magistratus est, non tantum leges civiles sancire & defendere, sed & curare præcipuè, ut quæ ad cultum Dei pertinent, ex unico eius verbo sanctè & religiosè non tantum constituentur, sed & custodiantur: hoc est, non tantum providere, ut puritas doctrinæ per sinceros Ecclesiæ doctores propagetur, sed & cavere, ne per pseudo-prophetas clam vel palam corrumpatur.

L III.

Quo in genere exempli loco nobis ob oculos ponitur pius Magistratus in populo Israelitico, eo nomine à Spiritu sancto commendatus: Salomon, quod Abiathari sacerdotium abrogavit 1. Reg. 2, 26. Aza, quod edicto publico religionis integritatem renovavit 2. Paral. 15, 13. Josaphat, quod sinceros doctores populo præfecit 2. Paral. 17, 9. Ezechias, quod templum Domini temporibus patris sui Achatz pollutum, mundavit, 2. Paral. 29, 3. Josias deniq;, quod abominationes omnes de universis regionibus Israel abstulit. 2. Paral 34, v. 33.

L IV.

Hos secuti sunt laudatissimi principes inter Christianos: Constantinus Magnus, qui publico edicto hæreticos nominatim Novatianos, Valentinianos; Marcionitas, Paulianos & Cataphryges proscripsit,

C

scripsit,

scripsit, quemadmodū edictum illud legere licet apud Euf. l. 3. de vita
Const: circa finē: idemq; testatur Soz. l. 2. hist. c. 32. Talis erat Gratianus
Imperator, qui Christianos tantummodo oratoria frequentare jubet,
exclusis Eunomianis, Photinianis & Manichæis, apud Socrat. l. 5. hi-
stor. c. 2. Ita Constantius Aëtium hæreticum; Theodosius Apollina-
rem & Nestorium in exilium pepulit: Valentinianus etiam & Mar-
tianus adversus Manetis & Eutychetis sectatores sententias tulere
fatis severas, referente Niceph. l. 8. hist. Eccl. c. 8. & 43. & l. 9. c. 18. Atq;
in hæc exempla piorum principum tanquam in speculum intueri de-
bet nostrum Magistratum.

L V.

Hanc enim ob causam orare jubemur pro Magistratu, ut placi-
dam ac quietam vitam transigamus non tantū cum honestate, quod
est secundæ tabulæ, sed & cum pietate quod ad primam tabulam
pertinet: unde & Magistratus gladium gerere dicitur ad ulciscendos
eos, qui malè agunt, Rom. 13, 4. hoc est, qui vel honestatem vel piete-
tem turbant.

LVI.

Neq; verò hac ratione ulla fit confusio Ecclesiastici & politici
muneris: Illud enim doctrinæ explicationem & totam Ecclesiasti-
cam jurisdictionem retinet, quam sibi nequaquam arrogat magi-
stratus: hoc circa externam duntaxat occupatur disciplinam, & pu-
ræ religionis custodiam, quam sibi Ecclesiasticus ordo vendicat;
eius enim arma non sunt carnalia 2. Cor. 10.

LVII.

Accedunt etiam apud hæreticos vitia morum contra utramque
tabulam, idololatria, blasphemia, profanatio sabbathi, interdū etiam
seditiones, cædes, & alia, quæ sanè non nisi autoritate magistratus
politici cõpesci coerceriq; possunt, imò ex institutione Dei debent.

LVIII.

Non igitur tam procul à se invicem distant Magistratus & Ec-
clesiæ minister, ut multi putant: sed quemadmodum pontifex desi-
nitur, quod ex hominibus adsumatur, ut pro hominibus constitua-
tur in his quæ sunt ad Deum, ut dona & sacrificia offerat pro peccatis
Hebr. 5, 1. ita Magistratus etiam assumitur ex hominibus pro homi-
nibus in his quæ sunt ad civile bonum, ut quietam & tranquillam
vitam sub eo agamus cum omni pietate & honestate, 1. Tim. 2, 2.

LIX. Hoc

1. Tim. 2, 2.

LIX.

Hoc est, quemadmodum Ecclesiæ ministri est docere, & ne lupi irruant in miseræ oviculas, providere, quin etiam irruentes pedo verbi divini arcere: ita magistratus est politici, Ecclesiæ ministris ea, qua præditi sunt divinitus, potestate suppetias ferre, pastores gregemq; defendere & in lupos animadvertere: ita utrinq; commonefactioni Salvatoris de cavendis pseudoprophetis, Matth. 7. satisfieri potest: quod quomodo fieri debeat, nunc in sequentibus exponetur.

CAP. III.

Proponens argumenta eorū, qui Magistratui jus in hæreticos derogant.

LX.

Aq; hic triplex occurrit sententiarum divortium: quarum duæ sunt extremæ, tertia est intermedia, quam & nos tuebimur, remotis primū ijs, quæ veram sententiam ex utraq; parte oppugnant.

LXI.

Prima classis eorum est, qui Anabaptistico quodam furore planè negant, hæreticum à Magistratu politico puniendum esse, de quibus jam modò dicere cepimus: jam verò istorum hominum unum vel alterum argumentum unà cum brevi responsione ad singula, proponemus.

LXII.

Primum igitur ita habet: Spirituale bellum terrestribus armis gerendum non est, quia est bellum Christi: Bellum, quod habetur cum hæreticis, est spirituale. Ergo non est gerendum armis terrestribus, quibus utitur Magistratus politicus.

LXIII.

Respondeo ad majorem, distinguendo inter bellum ipsum, & subsequentem executionem, quæ exercetur erga hostem bello devictū. Bellum cum hæreticis non geritur à Magistratu, sed ab Ecclesiæ ministris arma petentibus ex armamentario Spiritus sancti, quod

C 2

facro-

sacrosancta Scriptura suppeditat: quod si hæretici verbo convicti, & ab Ecclesia legitimè damnati fuerint; rectè atq; ordine magistratus facit, quod suum est, coercendo reum, ne Ecclesiam amplius perturbet. Hæc enim duo officia Ecclesiasticum & politicum distincta quidem sunt, sed non contraria, verum ita comparata, ut alterum alteri subsidiariam opem præstare possit.

LXIV.

Secundum argumentum: Christus & Apostoli sine præsidio magistratus doctrinam suam tueri & hæreticis resistere potuerunt. Ergo hodieq; poterunt ipsorum imitatores.

LXV.

Respondeo ad antecedens: i. est fallacia plurium quæstionum. Hoc enim non in quæstione est, quid Christus potuerit aut possit facere, sed quomodo velit Ecclesiam suam regere, & doctrinam defendere: num solo verbo, aut etiam Magistratus præsidio? ubi sanè distinctione opus est. Nā quod statum Ecclesiæ internū attinet, quoad fidem plantandam in animis hominum, & ad evellendas erronearū opinionum radices, sufficit gladius spiritus, qui est Verbum Dei: Sed quoad externum Ecclesiæ statum, & ad publicam tranquillitatem conservandam, quam turbant hæretici, ibi sanè præsidio Magistratus carere non possumus: eousq; enim ministrorum Ecclesiæ officium se non extendit.

LXVI.

Deinde est fallacia consequentis. Multa enim Apostoli potuerunt; quæ nos non possumus: multis etiam caruere adminiculis, quibus hodiè nostri Ecclesiæ ministri carere non possunt. Docuerunt Evangelium absq; adminiculo artium & linguarum: Nemo autem nisi Anabaptistico furore percitus statueret, artium linguarumq; studia doctori Ecclesiæ negligenda esse. Eadem est imbecillitas prioris comparationis, quam proponit argumentum. Non enim omnia Christi & Apostolorum facta ad imitationem sunt proposita.

LXVII.

Accedit deniq; fallacia causarum: non enim ex lege, sed necessitate Christus & Apostoli sine magistratus præsidio suam tutatam doctrinam: nullus enim aderat Magistratus Christianus, cui religio cordi esset: necessitas autem non facit legem.

LXVIII. Terti-

LXVIII.

Tertium Argumentum: Occasio tyrannidis omnibus modis est evitanda. Sed animadversio in hæreticos Magistratui concessa, parit occasionem tyrannidis, siquidem bonus princeps rara avis est, & sub prætextu hæreseos multi boni injuriam pati possunt. Ergo Magistratui animadversio in hæreticos non est concedenda.

LXIX.

Respondeo r. ad majorem, distinguendo inter occasionem datam & acceptam. Occasio tyrannidi danda non est, si quis verò pro levitate ingenij ex re etiam licita occasionem grassandi in innocentes sibi sumat, eius culpam res per se concessa præstare non potest. 2. in minore est fallacia accidentis. Nam quod Magistratus potestate sua legitima illegitimè utitur, per accidens accedit, aliàs nullius tyranni potestas esset legitima, cum tamen omnis potestas à Deo sit, Rom. 13. nullum concedendum esset ministerium publicum, quia in eo sæpè reperiuntur hæretici. Summa: Optima cuiusque rei semper aliquis abusus fuit: hunc tolle, illam retine, & non peccabis.

LXX.

Sufficiant hæc, unde primæ classis absurda opinio innotescat: cui opponimus hanc propositionem, supra rationibus & exemplis confirmatam: *Magistratus politicus jure in hæreticos legitime convictos animadvertere potest, propter conservandam tranquillitatem publicam.*

CAP. IV.

Proponens argumenta eorū qui hæreticos dicunt occidendos.

LXXI.

Jam verò ex altera parte occurrunt non pauci, qui plus nimio hac in parte tribuunt Magistratui, adeoq; tantum, quantum sibi juris pius & conscientiosus Magistratus in hæreticos non arrogat. Existimant enim hæreticum, qualem supra descripsimus, quatenus talis est, non tantum puniendum, sed & ad modum cæterorum facinorosorum capitali pœna adficiendum esse: cuius opinionis argumenta perstringamus prius, quàm ad sententiæ veræ declarationem descendamus.

Bellar. lib. 3. de
Laicis cap. 21.
Gregor. de Va-
lent. tom. 3. diff.
1. qu. 11. que est
de heresi pun. 3.
Schopp. Aplog. c.
4. & in Scalig.
Hypobol. fol. 319.
Beza volum. 1.
fol. 153. &c.

LXXII.

Primam argumentorum classem depromunt ex veteris Testa-
menti legibus, quibus idololatriæ & pseudoprophetis poenæ loco
mors indicitur ut Exod. 22, 20. *qui immolat dijs, occidetur*: Deut. 13, 1. *si sur-
rexerit in medio tui Propheta & dixerit tibi: eamus & sequamur deos alienos,
quos ignoras, & seruiemus eis: Propheta ille interficietur*. Deut. 17, 12. *qui super-
bierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministras Domino Deo tuo,
ex decreto iudicis morietur homo ille, &c.*

LXXIII.

Respondeo primò; leges has à Deo esse promulgatas, magna
cum reverentia agnoscimus. Sed in illis duo attendenda sunt: unum
est generale, omnes omnino homines & Rempub. quamcunq; mo-
dò juxta præscriptum juris divini conformatam, concernens: alte-
rum speciale, non nisi ad Rempublicam Judæorum pertinens.

LXXIV.

Generale est, resistendum esse ijs, imò puniendos esse à Magi-
stratu idololatriæ, & quicunq; perversa doctrina, pertinaciter sedu-
cunt alios, & Remp. Christianam temerè perturbant: hoc enim na-
turalis postulat æquitas, quæ generale illud, & perpetuum Decalogi
præceptum, Non habeas deos alienos coram me, explicat: omnibus
insuper gentibus & populis semper in usu fuit, ut doctrinæ alienæ
autores, quantum in ipsis esset, fugerent; quin & hoc ipsum generale
Christi præceptum Matt. 7. in recessu habet, quo pseudoprophetas ca-
vere jubemur.

LXXV.

Speciale est, quod de capitali poena annectitur. Ita enim Reip.
Judaicæ consulere voluit Dominus, ubi seductio populi à vero Deo
aggravabatur triplici circumstantia, personarum, temporis & loco-
rum: quæ omnia hodie locum amplius non habent.

LXXVI.

Personarum respectu: quia agunt istæ leges, de illo Dei populo,
quem potenti manu eduxerat ex Aegypto, & redemerat è domo ser-
vorum, quemq; sibi in peculium adsciverat, varijsq; beneficijs ad-
strinxerat, præ cunctis populis. Gravius igitur supplicium dictabat,
non cuivis pseudoprophetæ, sed surgenti E M E D I O huius populi
Deut. 13, v. 1. hoc est, qui & ipse sit ex hoc peculio Dei oriundus,
quiq; fratres suos ad apostasiam sollicitet.

LXXVII. Ra

LXXVII.

Ratione temporis accrescebat delictum, quia nuper admodum hunc sibi populum in peculium elegerat, suumq; favorem multiplicibus signis & prodigijs satis superq; declaraverat: quorum omnium memoriam tam citò deponere, grande sanè nefas, & morte piandum divinitus existimabatur.

LXXVIII.

Deniq; respectu loci gravior erat illa seductio, quia Chananæa regio, in qua vivebant, erat quasi Dei domicilium, in quod Judæos tanquam hospites intromiserat, & pro justissima sua voluntate legibus etiam strictioribus sibi devinxerat.

LXXIX.

Cuius suæ voluntatis atq; dispositionis rationem reddere etsi obstrictus est nemini: non tamen multum aberrabimus, si dixerimus, capitale supplicium Pseudoprophetis sui populi ideo fuisse indictum, ne populo in factiones distracto, dubia redderetur Messiaæ præsentia, quem ex illo populo, & ex illa regione, juxta promissionem Dei, exspectabant.

LXXX.

Hæc igitur est illa peculiaris ratio, qua atrocior Judæorum facta est seductio, quæq; leges illas formaliter judiciales facit, quæ illum duntaxat populum obligant, cui fuere latæ:

LXXXI.

Nos nostramq; Rempub. non obstringunt: nobis enim leges judiciales ne quidem latæ sunt, & fatentibus nonnullis ex Adversariis: id autem, quod in eis morale est, & communem judiciorum æquitatem spectat, libenter agnoscimus nos etiam attingere, ita tamen, ut Magistratui pœnam illam (prout in aliorum scelerum pœnis) pro ratione circumstantiarum attemperare liceat: Sufficit hic capitalem pœnam ex hac lege hæreticis nostris dictari non posse.

LXXXII.

Sed, inquiunt, Nulla idonea ratio adferri potest, cur Dei maiestas & Ecclesiæ auctoritas minoris apud nos ponderis esse debeat, quam olim apud Judæos fuerit: imò verò Christiani, si veram religionem aspernentur, aut minore studio tueantur, quam olim Judæi, eò minus excusari possunt, quò clarius se Dominus per Filium suum,

a Beza volum.
1. fol. 156.

Calvin. cont.
Mich. Serv. P.
32.
Beza. ol. 1. f. 157

suum, quàm per Prophetas patefecit: hos ergo principes officium facere putant, qui si non in ipso pœnæ genere, at certè in ipso pœnæ modo constituendo illas Dei leges sibi ad imitandum proponunt, Hæc illi:

LXXXIII.

Addunt alij majoris ponderis gratiâ autoritatem Cyprian. qui in l. de exhortat. ad martyrium c. 5. commemoratis illis scripturæ locis, mox subjungit: *Si ante adventum Christi circa Deum colendum, & idola spernenda hæc præcepta servata sunt: quanto magis post adventum Christi sunt servanda, quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus sit, sed & factis, &c.*

LXXXIV.

Ad instantiam ipsam respondeo: esse plus in conclusione, quàm patiantur præmissæ: Summo quidem studio tuenda est religio, malè verò & nimis liberaliter colligitur, eam per necem perperam docentium defendi posse, aut ruendam esse. Satis eam tuetur pius Magistratus prospiciendo Ecclesiæ de puritate cultus divini, & conservando laudabilem disciplinam, puniendo etiam eos, qui malè docent aut vivunt. Sed pœnæ genus aut modus, in veteri Testamento usitatus hodiè nequaquam est necessarius, quemadmodum honestas septimi præcepti hodiè sanctè illibatèq; custoditur, licet pœna furti neque quoad genus, neq; quoad modum cum veteri lege consentiat, olim restitutione quintupli puniebatur, hodiè non item. Utrumq; enim & genus & modus pœnæ, non ad legem, sed circumstantias legis pertinet.

LXXXV.

Cyprianus non tam de pœna idololatrarū, quàm de contemptu idolorum loquitur; item non tam quomodo fugiendi, quàm quod fugiendi sint idololatræ, monet; id quod locus allegatus clarè docet. Exhortatur enim Christianos in toto illo tractatu, non ut occidant paganos, inter quos versabantur, idololatras, sed ut fugiant, & si res ita ferat, potius se occidi patiantur, martyriumq; subeant: inter alias exhortationis rationes hanc quoq; addit cap. 5. quia Deus idololatriæ gravissimè indignatur, ita ut & mortis pœnam olim dixerit idololatræ ante Christi adventum. Quod si ergo olim tantopere servarunt ista de fugienda idololatria, præcepta; quanto magis, inquit, post adventum Christi servanda sunt.

LXXXVI. Ser-

Gregor. de Valent. l. d.

LXXXVI.

Servantur autem ad exemplum Christi, cum fugiuntur idolatræ & hæretici. Christus enim neq; idololatræ, neque Iudæos adversarios suos, interfecit: Sed Calumnijs, blasphemijsq; refutatis, per medium ipsorum transijt. Iohan. 8. Et hæc est vera Christi hac in parte imitatio: juxta illud Hieronymi: *Qui dicit, se credere in Christum, debet ut Christus ambulare. Ipse non venit, ut verberaret, sed ut verbera exciperet: alapam non dedit, sed accepit: neminem cruci affixit, sed ipse crucifixus fuit, non occidit, sed fuit occisus. Qui occiditur, Christum imitatur, qui verò occidit, Antichristum.*

LXXXVII.

Objicit alius quidam locum Zachariæ cap. 13. 2. ubi de Ecclesia novi Testamenti prædicitur: *Erit in die illa, dicit Dominus exercituum; disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra: & Pseudopphetas & spiritum immundum auferam de terra: & erit cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei, pater ejus & mater ejus, qui genuerunt eum, non vives: quia mendacium locutus es in nomine Dei: & configent eum pater ejus & mater ejus, &c.* Ergo, inquit, etiam jam sub novo Testamento auferendi & configendi erunt pseudopphetæ.

Sciop. Apol.
cap. 4. nu. 10.

LXXXVIII.

Sed ἀγνοία ἐλέγχεται laborat hæc instantia: auferri enim possunt Pseudopphetæ vel idololatræ de terra, licet non igni aut ferro perimantur: quod si urgeat adversarius vocem configendi, sciat morem hunc Prophetis esse familiarem, ut res novi Testamenti phrasibus suo populo usitatis exprimant, quod exemplis alijs ostendi potest, ex Ioele 2, 29. Zach. 6. 13: 14, 16 &c. Nam quod configere non fit idem, quod gladio transfodere, vel inde constat, quod hoc mortis genus non conveniret cum supplicio Pseudopphetis in lege dicto, ubi non configi, sed lapidari jubentur, Deut. 13.

LXXXIX.

Configere igitur Pseudopphetas Zachariæ idem est, ac idola & Pseudopphetas cavere, gladio spiritus jugulare, post admonitionem unam vel alteram devitare, & quæ sunt aliæ hujusmodi loquendi formulæ, quibus falsorum doctorum coërcio in scriptura Novi Testamenti exprimitur.

XC.

Ut autem ad dicta illa Veteris Testamenti superius allegata

C

seorsim

seorsim respondeamus : loquitur Dominus in Exodo cap. 22. de idololatriis, hoc est, de ijs, qui non DEO soli, sed dijs immolant, ut textus habet; qui Deum aliū colunt sacrificijs & alio externo cultu, non autem eum, qui populum suum duxerat ex Ægypto, seu ut Augustinus interpretatur, lib. 1. de Trin. cap. 6. qui simulacris eam servitutem exhibent, quæ Deo debetur.

XCI.

Hos è medio tolli voluit Jehova, ne seducerent populum, quemadmodum eandem ob causam totas gentes Chananæas in ore gladij interfici jussit, ne fortè doceant ipsos cunctas abominaciones, quas ipsi operati sunt Dijs suis. Deut. cap. 20, 18.

XCII.

Agit igitur propriè lex ista de hominibus extra Ecclesiam, qui de vero Deo nihil norūt, & sua idolomania insuper veros Civitatis Dei inquilinos à vero Deo abducere laborant : Hæretici verò sunt in Ecclesia, ut suprà diximus, saltem quoad externam professionem.

XCIII.

Neq; quidquam ad rem facit, quod distinguunt inter idololatriam externam & internam, hæreticosque idolomaniam committere dicunt, dum falsas de Deo opiniones alunt, alijsque instillant : nihil enim aliud eos facere contendunt, quam quod ex opinionib9 illis falsis idolum quoddam constituent.

XCIV.

At enim hac ratione nimis severa lex statueretur etiam in avaros, qui & ipsi idolis serviunt, unde avarus vocatur *ειδωλολάτρης* Eph. 5, 5. Multò satius igitur est, quemadmodum peccata ipsa distinguuntur, ita & pænarum fiat distinctio, & quia idololatria hæreticorum (si modò ita nominanda est) spiritualis est, etiam spiritualiter inprimis puniatur, nimirum gladio Spiritus, quod est verbum DEI; propter periculum autem, quod inde redundare posset ad populum, à Magistratu etiam debito more modoque coherceatur.

XC V.

Locus Deut: 13. agit de Pseudopropheta, qui nimirum vel visiones, vel somnia falso jactat, per quæ Deus se Prophetis revelaturum promiserat Num, 12, 6. tales autem hæretici, saltem aliqui, non sunt : quod in confesso est. Et si qui inter Anabaptistas & Sacramentarios fanatico ejusmodi aguntur spiritu, sciendum est, legem istam
Judæis,

Beza fol. 156.

Iudæis, non Christianis, latam esse, ideoque nisi seditionis crimen accedat, in ejusmodi fanaticos capitali pœna animadvertere non licere, præsertim, cum non desint alia media, quibus ipsorum insania compesci queat.

XCVI.

Hinc Augustinus de hoc loco scribit lib. 6. contra Faust. Manich. cap. 25. *Quisquis alium CHRISTVM vellet docere, ipsum interficiendum Moses præcipiebat: quid autem nunc aliud agit lingua Catholica, nisi ut spiritali gladio utriusque Testamenti bis acuto interficiantur omnes, qui nos à DEO nostro volunt avertere, aut aliquod infringere mandatorum.* Lingua igitur, non ferro compescendos eos esse docet Augustinus.

XCVII.

In Deut. 17. agitur de causis forensibus, non de hæreseos crimine; Ait enim Dominus, si iudicium fuerit ambiguum inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium intra portas (ubi non Ecclesiastica, sed forensia tractari solebant) variet, tunc consulendum esse supremum Synedrium, quod constabat in populo Iudaico ex Sacerdotibus & Judicibus; qui juxta legem judicabant: Quod si eorum sententijs stare quis noluerit, in eum mortis sententia dictabatur ex præcepto Domini, ad majorem isti iudicio auctoritatem stabiliendam.

XCVIII.

Nihil hic de hæresi vel hæreticis. Quod autem Sacerdotum fit mentio, quorum alias nulla erat in rebus forensibus sententia, fit partim propter legem Ceremonialem de dignoscenda lepra, quæ extat Levit. 23, 2. partim etiam propter incidentes casus quosdam conscientia, qui ex lege Mosaica explicandi erant: Et hoc respectu conjunguntur quæstiones de lege, de mandato, de ceremonijs, de justificationibus 2. Paral. 19, 10. quæ omnes in hoc iudicio à Sacerdotibus pariter & iudicibus politicis decidebantur.

XCIX.

Quod si maximè ultra subjectam materiam locum illum etiam de controversijs religionis in isto Synedrio disceptatis referas, rursum cavendum est, ne egrediamur limites politicae Iudaicæ in dictanda pœna mortis; ne fortasse hodieq; cognitionem lepræ, sanguinũ & aliarum rerum, partim ceremonialium, partim judicialium, ad sacerdotes nostros, aut ad consistoria Ecclesiastica remittere cogamur.

Bellar.
Greg. de Vall.
Beza.

C.

Secunda classis argumentorum petitur ab exemplis virorum illustrium in veteri Testamento, qui idololatrias, pseudoprophetas & alios non rectè docentes, gladio è medio tulerunt, ac propterea à Spiritu Sancto laudati fuerunt, quales fuère I. Moses, qui tria hominum milia propter idololatriam vituli Levitarum opera interfici curavit, Exod, 32. 27. II. Aza, qui edicto publicato præcepit, ut quicumque non quæsiverit Dominum Deum Israël, interficiatur, 2. Paral. 15, 13. III. Iehu, qui à Domino delectus totam Achabi familiam propter idololatriam penitus excidit, & Sacerdotes Baalis ad unum trucidavit 2. Reg, 10, 1. IV. Iosias, qui Sacerdotes excelforum mactavit 2. Reg. 23. v. 20. V. Elias, qui cessante Magistratu, potestate extraordinaria fungens, Sacerdotes Baalis interfecit, 1. Reg. 18, 40. VI. Iojadas, qui à Deo excitatus Athaliam illam impiam occidit, 2. Reg. 11, 15. VII. Matathias, qui quendam Judæum sacrificantem idolis interfecit. 1. Macchab. 2, 24.

CI.

Beza fol. 158.

Ex his exemplis concludit quidam: vel concedendum esse, quod Christiano Magistratui liceat Regum & Sacerdotum istorum exempla imitari: vel certè alterutrum horum probandum, nimirum, quod vel diversa sit hæreticorum conditio ab istis, de quibus in his exemplis agitur; vel quod de potestate civili, quoad Religionis conservationem attinet, per Evangelium aliquid sit detractum.

CII.

Respondeo 1. in genere, qualia fuère præcepta legum forensium in populo Iudaico; talia quoque exempla, nimirum isti Politicæ peculiaria, & latius non extendenda: aliàs hoc absurdum inde sequeretur, quod non tantum hæretici & hæresiarchæ, sed & omnes credentes hæreticis, & falsis opinionibus seducti excindendi essent, quia in exemplis laudatis idololatræ & omnes non quærentes Dominum Deum Israël interfici jubebantur, sine ullo vel ætatis vel sexus discrimine; sive magni sive parvi; sive viri fuerint sive mulieres. Iam verò ipsi quoque istius sententiæ Patroni distinguunt inter hæreticos & credentes hæreticis, illos tantum asperitati poenæ subjiciunt, hos excipiunt.

2. Quædam

CIII.

2. Quædam ex istis exemplis sunt ordinaria, ad politicum Magistratum spectantia, quædam extraordinaria Prophetarum atq; Sacerdotum, quibus gladius politicus ordinariè non erat concessus. Utrumque hodie nostris Ecclesijs legem præscribere non potest.

CIV.

Ordinarium est, quod Moses tanquam Dux populi politicus aliquot millia idololatrarum interfecit, ut istorum supplicio scelus istud tam grande expiaretur, & cæteris severissimum punitæ idolomania exemplum statueretur: non enim omnes interierunt: Si igitur ab hoc exemplo argumentari liceret ad occidendos hæreticos: sequeretur non in omnes animadvertendum esse tam severè, sed in aliquos duntaxat exemplum statuendum; quod num isti rigidioris sententiæ Patroni defendere, & in quos illud exemplum statuere cogitent, ipsi deliberent.

CV.

Ordinarium erat, quod Aza Idololatræ mortem minabatur: quod Jehu idololatræ occidit: quod Josias sacerdotes excelsorum mactavit: quod Matathias Iudæum idololatræ interfecit: hæc enim omnia non tantum ex pio zelo, sed & secundum legem Exod, 22. fiebant: quæ hodie sublata est.

CVI.

Ordinarium etiam erat factum Iojadæ Pontificis, qui quidem interfecit Athaliam reginam, sed non tam ut pontifex, quam ut tutor Regis Ioæ pueri vix septennis, & quamvis Athalia foveret cultum Baalitarum, tamen non eo nomine interfecta est, sed ut tyrannica & seditiosa mulier, quæ cum interfecisset omne semen regium, regnum per vim invasit, illudque integrum ferè septennium per tyrannidem obtinuit, contra mandatum Domini, qui noluit feminam, præsertim extraneam, regnare in regno Iuda, sed semper aliquem ex viris cum imperio fore promiserat. Sed quid hoc exemplum ad hæreticos?

CVII.

Extraordinarium est, quod Elias Propheta Baalitas interfecit, quod quidem secundum legem Domini fiebat, quæ nos non attingit: Sed respectu Eliæ, qui personam sustinebat Ecclesiasticam, Zelus erat heroicus à nemine in imitationem rapiendus.

CVIII.

Ita constat, allata exempla nequaquam evincere, Magistratui Christiano licere violentam istam hæreticorum extirpationem imitari: neque tamen sequitur, Evangelio de potestate Civili, quoad religionis conservationem, aliquid esse detractum.

CIX.

Relinquitur enim magistratui custodia utriusque tabulæ, licet ob defectum divini mandati, vindicta lethalis adversus hæreticos ei denegetur: quemadmodum in alijs quoque sceleribus puniendis juri magistratus nostri nihil quidquam est detractum, licet non secundum leges Politicæ Judaicæ, sed secundum cujusque reipub. formam atque modum, imò etiam secundum temporum conditionem aliter atque aliter administratur: qualitas enim & modus rei rem ipsam neque tollit, neque minuit.

CX.

Quod si sine periculo imminutæ potestatis Politicæ, aut absq; læsæ Majestatis crimine a foro Mosis discedere plane non est integrum: quid obstat, quin omnibus legibus Imperatorum, omni juri municipali, omnibusque ordinationibus & statutis Rerumpubl. valedicamus, & ut voluit olim fanaticus Caroloftadij Spiritus, juxta sola statuta Reipub. Judaicæ nos nostrasque actiones conformemus?

CXI.

Atqui hoc factu impossibile est. DEUS enim accommodavit illas leges forenses ad conditionem & mores istius populi, regionis, temporis, totiusque Reipub. Repudiato igitur populo, everfa Regione, mutato tempore, sublata Judæorum reipub. jure meritoque nunc etiam leges istæ sunt extinctæ & oblitteratæ, ita ut neque quenquam nostrum sub opinione necessitatis obligent, neque, si non observentur hodie, de potestate Civili quidquam detrahant: sed si quæ faciunt ad formam nostræ Reipub. liberrimè retineri queant.

CXII.

Ita Lex Mosaica Deut. 22, 20, 21. jubet sponsam compressam lapidari, eandem pœnam dicitur filio immorigero Deut. 21, 21: Magistratus Christianus utramque legem hodie non observat: quia non

non est Reipub. Christianæ accommodata; non tamen sequitur de potestate Civili, quoad conservationem honestatis matrimonialis aut disciplinæ domesticæ aliquid esse hodie detractum: Potest enim & solet alio modo, pro conditione suæ Reipub. sponsum in tali casu absolvere, & immorigerum illum punire. Idem esto iudicium de cæteris legibus fori Iudaici.

CXIII.

Rectè igitur Lutherus noster in Epistola ad Spalatinum, Anno 1524: *Qui judicialia Mosis jactant, contemnendi sunt. Nos habemus nostra Iura Civilia, sub quibus vivimus: sic nec Naaman Syrus, nec Iob, nec Ioseph, neque Daniel, neque ulli alij Iudæi extra terram suam suas leges, sed gentium, inter quas erant, servaverunt. Leges Mosis solum Iudaicum populum in loco, quem elegisset, ligabant, nunc liberae sunt, alioquin si judicialia servanda sunt, nulla est ratio, cur non circumcidamur quoque, & omnia ceremonialia servemus.*

CXIV.

Tertiam classem Argumentorum suppeditant edicta Regum, i. Nebucadnesaris, ut, quicumque dixerit blasphemiam in DEUM Sadrach, Mesach, Abednego, frustulatim conficiatur, ejusq; domus in sterquiliniū redigatur Dan. 3, 96. 2. Darij, ut quicumque edictum de instaurando templo mutarit, tollatur trabs è domo ejus, in quam erectam suspendatur, & domus ejus propterea in sterquilinium redigatur, Esd. 6, 11. 3. Artaxerxis, ut quicumque facere noluerit legem DEI, atque legem Regis, de hoc illicitò fiat iudicium, sive ad mortem, sive ad eradicationem, sive ut facultatibus multetur, sive ut vinciat. Esd. 7, 25.

CXV.

Ex his Principum edictis inferunt. Principes hi fuere profani, ad quos lex illa forensis à Mose lata non pertinebat, & tamen æquum putabant, ut in impios capitali pœna animadverteretur. Voluit igitur formulas illorum edictorum extare Spiritus sanctus, ut Principes Christianos puderet, in vindicanda religione profanis Regibus priores concedere.

Beza fol. 161.

Respon.

CXVI.

Respondeo. 1. Nebucadnesar cum dictum illud promulgaret, non amplius erat gentilis, sed ad verum Deum Iudæorum conversus, Dan. 3, 95. & sic legibus Iudæorum etiam subiectus. 2. Edictum ejus non adversus hæreticos; sed blasphemos directum est, quos severiore animadversione dignos esse non negamus: 3. Edicta & comminationes Darij & Artaxerxis non tam violatores cultus divini, quam legum à se recens promulgatarum de instauratione templi, & suppeditandis sumtibus ex regio ærario spectabant, ut ipse sonus edicti Darij arguit; Artaxerxis autem mandatum alternativum est, quod non simpliciter aliquid de morte transgressoris, sed vel de morte, vel de multa pecuniaria, vel de carcere decernit. Unde nihil contra hæreticos, religionis sinceræ temeratores, nihil etiam de ipsorum pœna capitali ullis tormentis extorqueri potest: remittimus igitur hæc quoque argumenta suis Patronis.

CXVII.

Quarta classis argumentorum deducitur ex duobus locis Actorum Apostolicorum, cap. 5, 5. ubi Ananias & Sapphira verbo interfecti sunt à Petro: cap. 13, 11. ubi Elymas Magus verbo à Paulo fuit excæcatus. Vnde inferunt 1. ab exemplo Petri; mirum videri non debere, si ab ordinario DEI ministro gladius in convictos & factiosos religionis contemtores stringatur, cum Petrus in defectu Christiani Magistratus extra ordinem religionis contemptum, quamvis adhuc occultum & latentem capitali supplicio punierit. 2. ab exemplo Pauli, ostendi eo, in religionis causa corporali quoque pœnæ locum esse.

CXVIII.

Respondeo x. factum Petri quod attinet, agnoscunt illi ipsi, qui eo in rem suam abutuntur, multiplicem discrepantiam à facto Magistratus hæreticum capite plectentis. Petrus verbo occidit, (si modò occidit) Magistratus gladio; Petrus crimen hominibus occultum punit, Magistratus non nisi manifestum: illi qui à Petro interfecti dicuntur, propter hypocrisin & fraudem interficiuntur, hæretici ob hæresin: & quæ sunt his similia.

CXIX.

Deinde: cædes ista non sine insigni injuria Petro tribuitur. Nam
neque

Beza fol. 362.

neq; ordinariè, neq; extraordinariè Petri fuit, sed Dei: neque enim Petrus sententiam ullam tulit, sed Spiritu DEI plenus DEI vindictam illis significavit: Petrus peccatum occultum tantummodò detexit & accusavit: DEI autem occulta vindicta reos percussit, Petro neq; verbis neque manibus, neque etiam imprecationibus ullis mortem illam repentinam adjuvante.

CXX.

2. Quod attinet Elymæ excæcationem, fatentur illi, qui hoc utuntur exemplo, in de non nisi corporalem hæreticorum pœnam probari posse: in quo nobiscum non dissentiunt. Concedimus enim hæreticos corporalem pœnam interdum effugere non posse: duo tamen sunt, quæ ad hoc exemplum addimus: 1. Magus ille non ab Apostolo, sed à DEO cæcitate fuit percussus. Paulus enim non inferebat, sed prædicabat cæcitatem: *Ecce nunc eris cæcus*, inquit, *non videns Solem usque ad tempus v. 11.* 2. Si historiam rectè perpendimus, cæcitas illa non tantum fuit peccati mulcta, verum etiam DEI miraculum in Paulinæ veritatis testimonium in animo proconsulis obfignandum: Ita enim habet textus v. 12. *Tunc Proconsul, cum vidisset factum, credidit, admirans super Doctrina DOMINI.* Neutrum igitur exemplum aliquid ad rem facit: Progredimur ad alia.

CXXI.

Quinta classis argumentorum petitur ex ejusmodi Novi Testamenti locis, in quibus Ecclesiæ & Magistratui jus in hæreticos conceditur. Ecclesiæ; Matth. 18, 17. Si Ecclesiam audire noluerit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus: Magistratui, Rom. 13, 4. ubi Apostolus de Magistratu dicit, non sine causa gladium portat, minister enim DEI est, vindex in ira: unde colligi ait Bellarminus, licitum esse hæreticos ab Ecclesia abscindi, & à seculari Judice morte mulctari.

Bellarmino.

CXXII.

Respondeo 1. locus Matth. 18. non agit de hæresi, sed de privatis offensis, quæ in communi vita incidere possunt: loquitur enim de fratre peccante: Hæreticus autem non est frater, sed hostis: loquitur de fratre in Te peccante; hæreticus autem peccat in totam Ecclesiam: unde & Chrysostomus interpretatur de ijs, qui injuriam inferunt proximo hom. 61. in Matth. 2. Si vel maximè de illis quoque

E

offensis

offensis loqueretur Christus, quibus hæretici peccant in Ecclesiam. nulla tamen major pœna isti delicto ex hoc loco adjudicari potest, quàm excommunicatio, quam in præfractis & contumacibus hæreticis usurpandam nos quoque non negamus: de pœna verò capitali eo loco ne *quò* quidem.

CXXIII.

2. Locum Apostoli Rom. 13. quod attinet, fatemur equidem, eum generalem esse, & ad omnes pertinere maleficos: ideoque neque hæreticos exceptos esse. Sed nimis esset liberalis consequentia, si quis ita colligeret: Magistratus habet jus gladij in hæreticos: Ergo gladio sunt interficiendi hæretici, utitur enim jure gladij etiam cum aliis modis in ipsos animadvertit, puta carcere, proscriptione & similibus.

CXXIV.

Aliàs si Jesuitica ista consequentia locum haberet, similiter argumentari possem: In quoscunque Magistratus Politicus habet jus gladij, hi gladio sunt è medio tollendi. In libidinosos, contentiosos, avaros, lurcones, otiosos, jus gladij habet: nam & isti male agunt, Ergo isti omnes gladio tollendi sunt; novus igitur mundus substituendus esset, cum pauci reperiantur; qui hoc modo aciem istius gladij effugere possent.

CXXV.

Sexta classis argumentorum producitur ex ijs Novi Testamenti locis, in quibus hæretici lupis rapacibus, furibus & latronibus comparantur, qui sanè omnes optimo jure occiduntur: item cancro serpenti, qui non curatur medicamentis, sed ferro excindi debet, alioquin perpetuò serpit, & totum corpus corrumpit. Loca Scripturæ sunt Matth. 7, 15. Act. 20, 29. Ioh. 10, 8. 2. Tim. 2, 17.

CXXVI.

Respondeo, in hoc argumento est fallacia causarum. Hæretici comparantur lupis, furibus, gangrenæ, &c. quia similem habent indolem & naturam; non quia similiter sunt tractandi. Aliàs ex eadem Topica concludere possum: tyrannicus Magistratus, etiam morosus Paterfamilias comparatur vulpibus, lupis, leonibus, quibus insidiæ struuntur, & si eorum copia fieri potest, etiam interficiuntur, &c. Luc. 13, 32. Ezech. 22, 27. Soph. 3, 3. Zach. 11, 3. Ecclesiastici: 4, 35. 2. Tim. 4, 17. Ergo subditi tyrannis, servi morosis he-

*Belarm?
Greg. de Val.*

rosis heris insidiari, & si fieri potest, eos è medio tollere tenentur: Atqui aliud docet Apostolus Paulus: qui omnem potestatem à DEO esse dicit, & proinde qui resistit cuius potestati, hunc DEO resistere adfirmat Rom. 13, 2. Aliud etiam docuit Apostolus Petrus, qui nos subditos esse vult in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam pravis 1. Pet. 2, 18. Quousque igitur se ista similia extendant, ex allato exemplo quilibet intelligit.

CXXVII.

Septimam argumentorum classem deducunt ex historia, Ecclesiastica, & sanctionibus piorum Imperatorum, Constantini Magni, Theodosij, Valentiniani, Martiani: quibus non tantum libros & sacrilega Scriptorum monumenta incendio concremari voluerunt, sed & ultimo supplicio coerceri (ut habent verba legis à Martiano in Concilio Chalcedonensi lata) qui illicita docere tentarint.

Bellar.
Greg. de Val.
Beza.

CXXVIII.

Respondeo: 1. Etsi Christianorum Imperatorum sententias & decreta non damnamus: tamen nostris Ecclesijs legem præscribere non possunt, quæ legibus à Spiritu Sancto approbatis reguntur, non humanis sanctionibus: ideoque non est, quod ab istorum Imperatorum temporibus Christiani Principes officij sui rationem mutantur, id quod ex Adversarijs quidam apertè fatetur.

Beza fol. 109.

CXXIX.

2. Si maximè nobis ijs vivendum esset legibus: tamen annotarunt Icti doctissimi, illud de capitali supplicio, vel non ad omnes promiscuè hæreticos, sed Manichæos & similes, qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerunt, de quibus etiam expressè loquitur lex Quicumque; pertinere: vel capitale illud supplicium non de supplicio mortis, sed de deportatione accipiendum esse, quemadmodum ex ipso textu illius legis probavit Matth. Wesenbecius in paratit. lib. 1. tit. 5. fol. 16. seqq.

CXXX.

3. Quod si contra manifestam literam legem illam, Quicumque, ad omnes extendamus hæreticos: tamen si consideremus temporum istorum historiam, alio ferè remedio exulcerato isto seculo rebus Ecclesiæ consuli non poterat. Præterquam enim, quod Romanum imperium domi forisque miserè vexatum pijs Imperatoribus

latis negotij facessebat, insuper ingentes hæreticorum catharactæ uno quasi vomitu à Satana in gremium Ecclesiæ effundebantur, ad quas obturandas piorum Ecclesiæ doctorum vires vix sufficiebant.

CXXXI.

Recensentur enim edicto Theodosij & Valentiniani 32 prodigiosa & monstrosa hæreses in concilijs legitimè damnatæ, quæ tum temporis piorum Imperatorum Ecclesias, vix constitutas cum præsentissimo Orthodoxæ fidei periculo perturbabant; quarum licentiam cum seditione ac rebellionem populi conjunctam, cum in illis temporum tumultibus aliter compescere non potuissent, pio zelo moti de nonnullis territorio suo ejiciendis, nonnullis pecunia multandis, quibusdam etiam mortis supplicio adficiendis leges promulgarunt: Nondum autem certum est, num quemquam hæreticorum capitali pœna sustulerint.

CXXXII.

Testantur enim Historici, pios Imperatores decreta sua non ad executionem, sed ad terrorem condidisse. Sicut olim factum in illa sanguinolenta lege XII tabularum de secando corpore debitoris obrati, apud A. Gellium lib. 20. cap. 1.

CXXXIII.

Ita enim de Theodosio scribit Sozomenus lib. 7. cap. 12. *Imperator lege edixit, ut heterodoxi neque Ecclesias colligerent, neque de fide docerent, neque Episcopos aut alios ordinarent, & alij Civitatibus & agris perlerentur, alij honoribus privarentur, nec eadem cum illis Politiâ uterentur: ac legibus illis gravia quidem supplicia adjecit, sed non est executus. Neque enim punire subditos, sed metu coercere sat agebat, quo illos in dogmate sit de divinitate Christi concordēs redderet: idem de Constantini legibus contra Arianos habet Sozom. lib. 2. cap. 32. & Nicephorus lib. 8. cap. 52.*

CXXXIV.

Justinianus quoque Imperator etsi legem tulit adversus hæreticos cruentam; nupiani tamen legitur ex ea in quenquam vindicasse, licet occasionem haberet animadvertendi in Anthemium Episcopum Constantinopol. Eutychnianâ hæresi infectum, ut & in Nestorianos, quos tamen, aliâ lege promulgatâ, ita duntaxat compesce-

percere voluit, ut Episcopi Nestoriani Ecclesijs ejicerentur, laici anathemate damnarentur: ergo & ipse priorem illam legem haud dubie in terrorem hæreticorum tulit.

CXXXV.

3. Neque etiam negare possumus, nonnullos ex Imperatoribus, juniores imprimis, cum viderent, multos Christianorum à Donatistis occidi, exquisitisque tormentis è medio tolli, quemadmodum Augustinus testatur Epist. 152 162. fervore pariter, zeloque motos vicissim per talionis poenam capitale supplicium ipsis lege lata sanxisse, qua ratione furoribus ipsorum sese obviam ire posse opinati sunt.

CXXXVI.

Recitatur ejus rei memorabile exemplum in Epist. 50. August. de Maximiano Episcopo Vagiensi crudelissimè à Donatistis tractato; ubi etiam non obscure docet, non hæresi, sed furori & sævitiae Donatistarum legibus Imperatorum obviam itum esse. *Hoc enim contigit Donatistis, inquit, quod accusatoribus sancti Danielis. Sicut enim in illos Leones, sic in istos conversa sunt leges, quibus innocentem opprimere voluerunt, &c.* Facile ergò hinc colligitur, quàm malè nostrarum Ecclesiarum gubernatio ad decreta illorum Imperatorum hoc in casu conformaretur.

CXXXVII.

4. Adde, quòd boni isti Principes bellorum tumultibus impliciti, & regnorum mutationibus divexati, non semper veram regendi Ecclesiam rationem observare potuerunt, & cum Sacrarum literarum essent ignari, Episcopis in omnibus fidem habuerunt, qui cum essent ambitiosi, & aliorum sanguine sibi famam quærerent, facili negotio fieri potuit, ut Imperatoribus sanguinari-um illum modum propagandæ Ecclesiæ persuaderent.

CXXXVIII.

Sed estne propterea lex ista pro sancta & inculpata reputanda, quæ sanguinolentorum Episcoporum instinctu condita fuit? An non potius illud hac in re respiciendum fuerit, quòd Christianum Magistratum deceat, quàm quòd violenta tyrannide extorqueri possit? inquit Brentius in lib. in quo Magistratum Religionis curam gerere debere docet.

CXXXIX.

5. Præterea fatetur Gregor. de Valentia, usque ad tempora Martiani & Valentiniani; Bellarminus, usq; ad tempora D. Augustini, hoc est, usque ad annum Christi 430, legem de interficiendis hæreticis non fuisse latam: nam tempore Constantini Magni decreta illis est pœna exilij, ut apparet ex Proœmio Concilij Niceni, & ex Sozom. lib. 1. cap. 20. addita deinde fuit pœna pecuniaria, tempore Theodosij Imperatoris, nimirum decem librarum auri, donec invalescentibus hæreticorum monstris graviore eos pœna terruerunt Martianus & Valentinianus Christiani Imperatores.

CXL.

Nulla igitur ratio est, cur hodie in puniendis hæreticis decreta potius horum Imperatorum, quàm Antecessorum suorum sequamur, præsertim cum rationes non desint gravissimæ, quæ capitale supplicium ab hæreticis sumendum, dissuadeant, de quibus suo loco.

CXLI.

Accedo ad octavam classem Argumentorum, quæ petitur à jure naturæ seu ratione humana. Omnibus enim gentibus, inquit, ratione docente, hoc usurpatum fuit, ut qui religionem, quam illi veram existimabant, violarent, acerbissimis supplicijs mulctarentur, ut videre est apud Platonem lib. 10 de legibus: & Livius scribit; jam inde à Romanæ Reipub. initijs negotium fuisse Magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent, sacrificulos, vatesque foro, urbe, circo prohiberent, vaticinos libros conquirerent, comburerentque; omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent lib. 9. decad. 4.

CXLII.

Respondeo i. Argumentum à ratione humanâ non valet in causa religionis. Multa enim videntur rationi nostræ consentanea, quæ neque ad fidei, neque Ecclesiæ ædificationem faciunt. Quapropter in hac quoque quæstione de pœnis hæreticorum non attendenda est consuetudo gentilium, qui in vanitate sensus sui ambulat, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita DEI, ut Apostolus loquitur Eph. 4, 17. neque etiam rationis arbitrium sequendum, quæ nos eò ducere potest, quò DEUS non vult,

2. Nihil

Gregor. de Val.
fol. 331. tom. 3.
Beza fol. 167.

CXLIII.

2. Nihil dicam, quod gentiles hæreticorum suorum pœnas ex legibus Mosaicis mutuari potuerunt: quemadmodum sacrificiorum usum à Judæis didicerunt, quod contra Bellarm. lib. 1. de missa cap. 20. ubi opus fuerit, tuebimur: atque tum, quantum valeat ista ratio, ex superioribus, quæ ad Classem primam dicta sunt, intelligitur.

CXLIV.

3. Quod si maximè dandum aliquid est juri naturæ, in puniendis hæreticis, præterquam genus, nihil omninò concedendum est. Quemadmodum enim omnes homines natura sciunt, esse aliquod numen pura mente colendum: ita vicissim norunt, eos qui cultum hunc quocunque modo violant, tanquam omnes humanæ naturæ limites transgressos, puniendos esse: quod verò pœna præcise capitali adficiendi sint, nemo, opinor, tam temerarius erit, qui adfirmaverit: nam ea quæ se utrolibet modo habere possunt, & pro circumstantia rerum variare, non naturalis sunt rationis, sed voluntariæ dispositionis.

CXLV.

Talis autem est omnium scelerum ratio, quæ punienda esse natura equidem docet: Sed unam eandemq; semper & ubique pœnæ rationem, & modum esse debere, nulla suadet ratio, quin potius ipsæ gentiliùm Rerumpublicarum formæ contrarium docent: qui fit igitur, quod in crimine hærescos unam & eandem puniendi rationem ex jure naturæ nobis obtrudere volunt?

CXLVI.

Nonam argumentorum classem petunt à Patrum testimonijs, Hieronymi in primis, Augustini, Leonis, Optati, Gregorij, Bernardi: horum enim testimonia recitat Bellarminus: quæ omnia si in succum & sanguinem converterentur, nihil volunt aliud, quàm hæreticos pellendos, arcendos, coercendos esse, quod nemo nostrum negat: quod autem in sanguinem hæreticorum sævire Magistratum nolint, deinceps aliquot exemplis audiemus.

CXLVII.

Restat decima classis argumentorum, ex rationibus petita, quarum aliquot proponit Bellarminus: Prima est: Excommunicari possunt

possunt hæretici: Ergo etiam occidi, quia excommunicatio major
pœna est, quàm mors temporalis.

R. Committitur fallacia κατὰ πῶς ἀπολαύς major & periculosior
pœna est excommunicatio morte, ratione eventus, si nimirum non
sequatur pœnitentia excommunicati: tunc enim quæ super terram
ligata sunt, ligata quoque manent in cœlis, ut explicat Augustinus
lib. 1. de Advers. leg. & Prophet. cap. 17. Tolerabilior autem est re-
spectu finis: ideo enim excommunicatus traditur Satanæ, ut Spiritus
salvus sit in die Domini JESU 1. Cor. 5, 5. hoc est, ut hoc re-
medio dometur perversa hominis voluntas, & discat in Spiritu in-
cedere. Mors autem hæretici simpliciter non tantum periculosa,
sed & apertè noxia est: qua neque hæretici pœnitentia promovetur,
ut interdum in excommunicatione fit: neque hæresis tollitur: mors
enim corpus interimit, non opiniones.

CXLVIII.

Secunda: Ecclesia nullum aliud habet remedium tollendi
hæreses, quàm mortem. Respondeo: id verò apertè falsum est. Nam
Apostoli Ebionitarum, Cerinthianorum, Nicolaitarum & simili-
um hæresin, feliciter jugularunt, nullo hæreticorum à Magistratu
interempto. Fuerunt & sequentibus ætatibus hæreses aliæ feliciter
sopitæ, absque lege aliqua sanguinaria, donec tandem hæreticorum
crudelitas, & seditio Christianis Imperatoribus edicta de tollendis
hæreticis extorsit, quemadmodum inter alios D. Augustinus non
obscurè fatetur Epist. 50, ad Bonifacium, Imò si tam validus ad tol-
lendas ex Ecclesia hæreses est rogos aut gladius, quí fit, quod ho-
dieque Donatistarum & aliorum Sectariorum hæresin Pontificij no-
stris, quanquam falsò, imputent Ecclesijs, nos verò apud ipsos ad o-
culum, sicubi opus fuerit, monstrare possumus? hocine est funditùs
ferro & igni extirpare hæreses?

CXLIX.

Tertia: Falsarij omnium judicio merentur mortem: At hære-
tici sunt falsarij verbi DEI. Ergo. Resp. Major omnium judi-
cio falsa est. Falsi enim pœna legibus civilibus constituitur depor-
tatio, & omnium bonorum publicatio, l. 1. § fin. ff. ad leg. Cornel.
de fals. Deinde quale est delictum; talis etiam pœna: sed falsatio
verbi divini est delictum Spirituale, non ad forum soli, sed poli
pertinens: ergo non est necesse, ut ultima pœna civili puniatur, sed
subseque-

subsequetur Spiritualis hæretici deportatio seu exclusio ex patria cœlesti, juxta illud: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet DEVS super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri Prophetie hujus, auferet Deus partem ejus de libro vite, & de Civitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto Apoc. 22, 19.* Hic autem in foro Civili, à Magistratu civiliter punitur, quantum ad tranquillitatem Ecclesiæ publicam sufficit.

CL.

Quarta: ex August. Epist. 50. Gravius est, hominem fidem non servare DEO, quàm sceminâ viro: sed hoc morte punitur: Ergo & illud. Resp. Augustini locum quod attinet, manifestum est ex contextu, ipsum non tam contra nostram sententiam disputare, quomodo puniendi sint hæretici, quàm contra Anabaptistas, quod sint puniendi. Nam cum in præcedentibus ostendisset, quàm necessarium esset, ut Donatistarum furori ab Imperatoribus resisteretur: subjicit: *Cur cum datum sit homini divinitus liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur: an fidem non servare animam DEO, levius est, quàm sceminam viro?* Docet hæc verborum *coincidentia* apertè, Augustinum adulterij pœnam & sacrilegiorum permissi-
onem seu impunitatem opponere: nos verò neque sacrilegia, neque hæresin à Magistratu impunita esse volumus.

CL I.

Quod autem ipsam Corporalis & Spiritualis adulterij comparationem attinet, non equidem negamus, hæresin esse Spirituale quoddam adulterium; est enim defectio à DEO, cui fidem dederunt hæretici in Baptismo: quod autem eadem utrobique pœna sit in foro Civili, pernegamus: alioquin gladio animadvertendum esset etiam in avaros, quia sunt Spirituales idololatræ Eph. 4, & in desperabundos, quin & in omnes, qui contra conscientiam peccant, quia & ipsi fidem DEO datam non servant. Viderint igitur, qui istam rationem allegoricam tantoperè jactant, ne nimis apertè transfugæ fiant in castra Donatistarum, quos tamen jam gladio extinctos putant, dum nescio quàm Ecclesiam puram putam, & omni labe carentem hac ratiuncula introducunt.

CL II.

Quinta: Qui ideo occiduntur, ne bonis noceant: & ut suo supplicio multos corrigant, & denique ex morte beneficium accipiant, hi jurè occiduntur, Tales sunt hæretici, qui i. nocent proxi-

Sciop. Apol.
cap. 4. lib. 4.

mis magis quàm latro aut pirata, animas occidunt, & omnia tumultibus implent. 2. Sua nece multis profunt, ut ab hæresi citius convertantur ad veritatem. 3. Beneficium habent inde, quod è vita tolluntur, nam quò diutius vivunt, plures pervertunt, plures errores excogitant, & majorem sibi damnationem accersunt. Unde quidam novitius aulæ Romanæ alastor nuper ex Bellarmino repetijt, ad legem caritatis pertinere hæreticorum mortem, illosque diligere hæreticos, eisque benefacere, qui eos, quamprimum exoriuntur, è medio tollunt.

CLIII.

Sed est in hac ratione egregia Sophisticatio, impingens in fallaciam consequentiæ. Si enim causæ dictæ sufficerent ad mortem alteri inferendam, quid obstat, quo minus omnes quoquo modo publicè peccantes carnifici tradamus: Certum enim est, quolibet externo peccato noceri bonis, ad minimum malo exemplo: talibus etiam supplicijs absterreri fortè posse cæteros, & ipsum delinquentem, ne peccatorum cumulum augeat, impediri.

CLIV.

Verùm ejusmodi remedium impediendi scandala, & benefaciendi inimicis ignorat universa scriptura? *Malevola est benevolentia, quæ aliquem miserum vult, ut ejus misereatur*, inquit Augustinus lib. 3. Confess. cap. 2, & lib. 1. ad Montanum cap. 22. Gaudeant hoc misericordiæ & benevolentia genere misericordes isti Patres Inquisitionis Hispanicæ, quibus sub finem capitis 21. palpum obtrudere voluit Bellarminus: nos alium deinceps modum agendi cum hæreticis, ex scripturâ indicabimus.

CAPUT V.

Proponens argumenta, quæ
hæreticos non interficiendos esse,
docent.

CLV.

Hactenus ergo Adversariorum sententias & rationes pro virili discussimus: Superest, ut mentem nostram in hac quæstione exponamus

ponamus : ubi primùm argumenta, quæ hæreticorum supplicium capitale dissuadent, audiemus; dein, quomodo cum ipsis agendum sit, videbimus.

CLVI.

Protestamur autem, nos nequaquam hæreticorum causam agere, neque erroribus aut malitiæ ipsorum patrocinari: Sed detestamur eos, ut mancipia Satanæ, à quo captivi ducuntur, juxta ejus voluntatem: interim tamen ne vis inferatur sacris literis, aut aliquid alienum à Republica Christiana introducatur, pio Magistratui capitale hæreticorum supplicium dissuademus his rationibus.

CLVII.

I. De Ecclesia Novi Testamenti prædictum fuit à Prophetis, quod absque cæde & sanguine sit propagatura doctrinam Evangelij. Ita enim scriptum est Esa. II. v. 6. *habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo accubabit, &c. & vers. 9. Non nocebunt, & non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini.* Quæ verba quia generaliter de pace Ecclesiæ & concordia Civium Republicæ Christianæ loquuntur, simul includunt modum propagandi Ecclesiam, nimirum absque profusione sanguinis.

CLVIII.

Frivolum autem est, quod Bellarminus obiicit: non dicere Prophetam, quod Catholici non occident hæreticos, Sed potius contra, quod hæretici non occident, & non nocebunt Catholicis; loqui enim Prophetam de Leonibus, Ursis, Serpentibus, Regulis, alijsque venenatis Bestijs, quibus diabolus & hæreticos notari ait; Frivolū, inquam, hoc est. Nam per venenatas illas bestias non potest intelligere hæreticos: horum enim totalis concordia cum Orthodoxis speranda non est, quia oportet hæreses esse, I. Cor. II. Sed hisce titulis omnium omnino hominum naturam describit, qualis ea est, respectu corruptionis suæ; Eos igitur, inquit, qui quondam DEO summè displicebant, jam ad agnitionem CHRISTI adductos pacificè victuros, & à cæde & sanguine adversariorum sibi temperaturos.

CLIX.

Neq; tamen Magistratui novi Test: hoc pacto jus gladij eripitur: non n. hic de Politico agitur regimine, sed Ecclesiæ moderamine, in quo Christus dominatur gladio spiritus, qui est verbū Dei, Eph 6.

Is enim percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium, ut paulò antè in v. 4. dicitur, & hujus Ecclesiastici moderaminis respectu additur, non occident in universo monte sancto meo.

CLX.

II. Nullum habemus mandatum de occidendis hæreticis in Novo Testamento, quod tamen in re tam serua haud dubiè non fuisset intermissum. Nam quod fratres ignorantia olim in papatu attulerunt ex Tit. 3. 10. hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem de vita, scilicet, tolle, ut ipsi interpretabantur; id jam diu protritum & obsoletum est, & non tam verbis quàm fustibus dignum, quia cum græcum vocabulum *πρωστυλίσ* legere non potuerint, interim in divisione latini plusquam asininam inscitiam procedere voluerunt.

*Ib. Aquin. 2. se-
cun. quest. 11.*

CLXI.

Respondet Bellarminus: Christum quidem & Paulum nihil præcepisse, sed nec prohibuisse, ut occiderentur hæretici, quemadmodum nusquam jubent adulteros & falsarios occidi, fures suspendi, comburi latrones, & tamen id fieri, & rectè fieri nemo negare audeat.

CLXII.

III. Sed vanitatem hujus objecti jam monstrabit tertia classis argumentorum, ubi ostenditur, CHRISTUM & Apostolos diversimodè hæreticorum pœnas capitales prohibuisse, quod de cæteris pœnis criminum forensium adfirmari non potest: de illis verò locis seorsim agendum est, ut *φραγίας* Adversariorum eò meliùs discutiantur.

CLXIII.

Primum igitur, cum Christus statum regni sui per parabolas exposuisset, Matth. 13. confert inter alia verbum suum bono semini; hæreticos autem zizanijs, quæ bono tritico simul erant interspersa. Volentibus autem servis evellere, & è medio tollere zizania, noluit Paterfamilias, ne simul bonum evellatur triticum: Sed præcipit, ut crescere sinant usque ad messem, & in tempore messis se dicturum messoribus, ut colligant primùm zizania, & alligent ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregent in horreum.

Per z

CLXIV.

Per zizania hæreticorum conciliabula significavit, inquit Chrysoſtomus homil. 47, in Matth. & quid per collectionē zizaniorum intelligat, ibidem exponit his verbis: *Vide fervorum diligentiam, inquit, Nam etſi non prudenter, ſedulo tamen ad evellenda zizania feſtinant: quæ res ſollicitudinem ipſorum & diligentiam erga Satanam oſtendit, quodq; ad unum ſolummodo reſpiciunt, non ut pœnas inimicus luat, ſed, ut ſemina jacta non diſpereant. Quare quomodo morbum depellant, inquirunt, nec ſibi conſidunt, ſed domini ſententiam exſpectant, ac idē interrogant, dicentes: Vis igitur abeuntes, colligimus ea? Dominus autem prohibet, ne fortē ſimul cum Zizanijs herbarum etiam tritici evellant, quod dicebat, ut bella & effuſionem ſanguinis prohiberet. Nam ſi trucidarentur hæretici, abſq; ſœdere pacis atque inducijs bellum orbi inferretur, &c.*

CLXV.

Eadem eſt interpretatio Cypriani, qui lib. 3. Epist. 3. cum ex iſto Matthæi loco intuliſſet, ſemper eſſe zizania in Eccleſia, quemadmodum in domo magna non tantum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam verò inhonorata: Subjicit deinde: *Cæterum fictilia vaſa confringere Domino ſoli conſeſſum eſt, cui & virga ferrea data eſt. Eſſe non poteſt major Domino ſuo ſervus, Nec quiſquam ſibi, quod ſoli Filio Pater tribuit, vendicari ſe puet, ut ad aream ventilandam & purgandam paleam jam ferre ſe poſſe, aut à frumento univerſa Zizania humano iudicio ſegregare. Superba eſt iſta obſtinatio, & ſacrilega præſumptio, quam ſibi furor pravus aſſumit.*

CLXVI.

Bellarminus cum vim argumenti videret, nihil aliud egit, quàm ut interpretationes illas patrum contra expreſſam mentem ipſorum eluderet. Chryſoſtomum ait hoc voluiſſe, tunc prohibendam zizaniorum evulſionem, ſi eorum evulſio frumento eſſet noxia: Quod ſi verendum non eſſet, tunc neque evulſionem iſtam eſſe prohibitam. Cyprianum ait; non de hæreticis, ſed de malis Chriſtianis agere. Ultramque ſententiam utrique patrum haud dubiè contra conſcientiam adtingit Cardinalis.

CLXVII.

Nam quod Chryſoſtomum attinet, nulla ibi eſt diſtinctio: ſed in genere dicit, Dominum iſta parabola bella & effuſionem ſanguinis pro-

nis prohibere: item; Dominum prohibere non conciliabula hæreticorum dissipare, non ora obstruere, non libertatem loquendi concidere, verum interficere & trucidare: Insuper rationem addit huius interdicti geminam, non tantum, ne simul evellatur frumentum, quam solam vidit Bellarminus; Sed &, ne hæreticorum salus impediretur: posse enim multos in statum frumenti converti: quæ ratio locum habere non posset, si aliquo unquam tempore hæreticos, quatenus tales, occidere liceret.

CLXIII.

Cyprianus primùm in genere loquitur de lapsis, quibus nec censura desit, quæ increpet, neque medicina, quæ sanet: Deinde expressè Schismaticorum & hæreticorum errorum mentionem facit: hæreticos igitur à zizanijs excludere non potest.

CLXIX.

His ergo, declarationis gratia, præmissis, hæreticos occidi à Christo fuisse prohibitum, ex hoc loco probamus duobus potissimum argumentis:

1. Ubicumque hæretici cum Orthodoxis relinqui jubentur, ibi hæreticorum prohibetur occisio.

Sed hoc in loco jubentur relinqui: voluit enim Dominus zizania crescere cum tritico. Ergo.

CLXX.

Ad minorem respondent nonnulli per inficiationem: Negant enim per zizania, intelligendos esse solos hæreticos, sed omnes omninò facinorosos in moribus & fide, idque probant. 1. Ab appellatione Agri, qui non tantum Ecclesiam, sed mundum notat: in mundo autem non tantum hæretici sunt, sed & flagitiosi alij. 2. Ab explicatione ipsius CHRISTI, qui zizania interpretatur vers. 41 de scandalis & ijs, qui faciunt iniquitatem, quod soli hæretici non faciunt.

CLXXI.

At, rationes istæ nihil concludunt. Nam 1. Agrum illum non esse universum mundum, sed Ecclesiam, inde colligitur, quod non regna mundi, sed REGNUM COELORUM comparatur agro vers. 24. quin & docet tota συνέκριστος istius capituli, Christum non de negotijs mundi, sed de rebus Ecclesiæ suæ agere: quod autem vers. 38. dicitur: Ager est Mundus, id per usitatam Scripturæ Synecdochen

Synecdochen fit, quia nimirum in mundo colligitur Ecclesia. Ad
2. dico: etsi hæretici non soli præbent scandala, aut operantur ini-
quitatem, tamen sub univ[er]so isto genere ipsi quoque comprehen-
duntur, tanquam species non postrema.

CLXXII.

Quod autem per zizania tantum hæretici intelligendi sint,
tria probant: 1, quia ubicunque seminis à Christo sati fit mentio,
ibi de doctrinâ fidei, non morum, semen illud accipiendum est.
Doctrinæ autem fidei opponuntur hæreses, non scelera. Nam,
quod de quadruplici semine in parabola proximè præcedente dicitur;
id de uno quidem semine verbi prædicati, sed quatuor distin-
ctos effectus habente, intelligendum est.

CLXXIII.

2. Deinde. quia aliàs nulli prorsus facinorosi occidendi essent,
nam zizania evelli & extirpari prohibentur, non aliqua, sed omnia,
ubi enim Christus non distinguit, nobis etiam distinguere non li-
cet: Id verò esset uno quasi impetu Magistratui politico jus gladij è
manibus extorquere; quo nihil est absurdius.

CLXXIV.

Denique idem probat zizaniij natura: quod quoad culmum
ac folia adeò simile est tritico, ut nisi ad justam pervenerit maturita-
tem, à tritico distingui nequeat. Unde dictum est ζιζάνιον, teste Va-
rino, quasi σπιζάνιον, παρὰ τὸ σίτος παρατρέβεν ἢ σπικάνιον, quod tri-
ticum imitatur, illud ut umbra corpus sequitur, eiq; accrescit: nota-
tur ingenium hæreticorum omnium, qui subdolè imitantur veros
verbi Doctores, ficta pietate, docendi etiam & patiendi interdum
genere, ut ab ijs ægrè discerni possint, donec dies messis eos secernat.
Facinorosi verò alij plerumque manifesti sunt, nec facinoribus suis
quenquam facilè fallunt, ideò melius urticæ aut tribulis, quàm zi-
zanijs conferrentur, quemadmodum Johannes Baptista tales paleis
adsimilat, quæ à tritico manifestè discerni possunt Matth. 3, 12. de
occultè sceleratis hic sermo non est: nam si non sunt manifesti, ne
puniendi quidem: quia quæ Deus solus novit, solus etiam puniet.

CLXXV.

Alterum argumentū nostrum tale est: Quod hominib. interdictū,
Angelis autem præceptum est, illud à nullo hominū est attentandū.
Sed evulsio zizanierū hominib. interdicta, angelis præcepta est,
uti con-

uti constat ex collatione vers. 29. 30. & 41. Ergo zizania evellere, hoc est, hæreticos interficere nemo Christianorum hominum attentare debet, vi interdicti Christi, vers. 30.

CLXXVI.

Celsus.

Objiciunt aliqui, utroque vocabulo, servorum & Messorum, intelligendos esse Angelos: quia omnes Angeli sunt servi, seu ministri à DEO emissi: & sic nequaquam hominibus, præsertim magistratui zizaniorum evulsionem interdictam esse, sed certò Angelorum ordini: distinguere enim Christum inter duo distincta officia Angelorum, quorum unum est generale; inservire hominibus, alterum ordinarium & certum, messorum nimirum, & pertinet ad certum Angelorum ordinem.

CLXXVII.

Sed non possunt Angeli hoc loco simul dici Servi & Messores: Nam 1. duo distincta genera nominum adhibentur, quod aliàs necesse non fuisset: Nam in ultima Messe, hoc est, in novissimo iudicio omnes Angeli venient cum Christo; Matth. 25, 31. 2. De Servis dicitur, quod ignoraverint, diabolum tritico immiscuisse zizania: De Angelis verò probari non potest, quod ignorent, quid à Diabolo agatur in mundo.

CLXXIX.

Verùm satis de hoc loco, qui sufficienter ostendit, Christum prohibuisse, ut ad mortem usque in hæreticos animadvertatur. Alter extat Luc. 9, 54, ubi cum discipuli voluissent, ut ignis de cælo descenderet, & Samaritanos Christum recipere renuentes consumeret, cum increpatione prohibiti fuerunt, à Deo, dicente, an nescitis, cujus Spiritus filij sitis: filius hominis non venit animam perdere, sed salvare,

CLXXIX.

Respondet ad hunc locum Bellarminus 1. latissimam esse differentiam inter Samaritanos illos & hæreticos: Illi enim nunquam promiserant, se Christi religionem servaturos, sed tunc primùm eis offerebatur, & ideò compellendi non erant: at hæretici promiserunt, professique sunt, se Christi fidem servaturos, ideò meritò compelluntur. 2. Jacobum & Johannem, ait, non tam zelo salutis animarum, quàm amore vindictæ cupivisse Samaritanos comburi, Ecclesiam vero zelo salutis animarum, quàm hæretici pervertunt, eos persequi,

persequi, quo zelo CHRISTUS vendentes templo ejecit, Petrus Ananiam & Sapphiram interfecit, Paulus fornicantem Satanæ tradidit, &c.

CLXXX.

Ad 1. respondeo: Differentia illa proficiscitur ex malo principio, quod clarius proponit ad hunc locum Greg. de Valentia, quod nimirum mitius sit agendum cum ijs, quibus primùm proponitur Evangelium, quales erant Samaritæ, quàm cum alijs, qui jam illud receperunt, quos vi compellendos esse scribit. Sed hanc differentiam ignorat Scriptura, quæ Christum semper sibi similem habet, talem nimirum, qui non ferro, sed Verbo regnum suum tuetur & amplificat: & ratio illa, quam CHRISTUS ipse addit apud Lucam, ubique locorum, & apud omnes populos valet: venisse nimirum Filium hominis, non ut perdat, sed salvet.

CLXXXI.

Falsum autem est, quod scribit Bellarminus, eos, quibus primùm offertur Evangelium, compellendos non esse: aliter enim docuit Salvator in parabola Luc. 14. 23. ubi convivator præcipit famulis, exeant ad eos, qui juxta vias & sepes jacebant, (quæ notatio erat gentilium nondum converforum, & extra pomeria Ecclesiæ adhuc degentium) & compellant eos intrare: quod fit, non, si externa vi è medio tollantur, tales enim non convertuntur, sed evertuntur, & vi coacti hypocritæ fiunt, non veri Christiani: verùm cum partim doctrinâ legis terrentur ipsorum conscientia, ut Medicum animarum quærere cogantur; partim etiam, quando à Magistratu Politico, ad audiendum Verbum per legitima media adiguntur.

CLXXXII.

Ad 2. Quod Apostoli Samaritorum interneccionem intemptivo zelo postulaverint, non negamus: ideò enim CHRISTUS eos objurgat: an nescitis: cujus Spiritus filij fitis? neque etiam prolixè disputabo, quo zelo Inquisitores Hispani sæviant in eos, etiam non auditos, quos levissimo saltem indicio a Romana Synagoga alienos esse deprehendunt: Sufficit, quod hujusmodi violentam homines convertendi rationem Christus interdixit, addita gravissima ratione, non tantum de compescendâ vindictâ privatâ, verum etiam de considerando Christi officio, quod est hominum salutem quærere, non interitum.

G

Sufficiente

CLXXXIII.

Sufficienter igitur, ut arbitror, hætenus probavimus, Christum non tantum, hæretici ut interficerentur, non præcepisse: sed & ne fieret prohibuisse. Similem prohibitionem habemus apud Paulum nostrum 2. Corinth. 10, 4. ubi, cum personæ suæ vilitatem à contemptu Corinthiorum vindicasset, ait tandem, arma militiæ suæ non esse carnalia; innuens hoc ipso, se quidem extraordinaria uti posse potestate ad compescendos contradicentes, sed id non esse sui muneris, accepisse enim sese potestatem ad eorum ædificationem, non ad destructionem 2. Cor. 10, 8. & 13, 2.

CLXXXIV.

Progredimur ad quartam argumentorum classem, quæ deducitur inde, quod ad fidem nemo cogi debet aut potest. Nam voluntarium populum expetit Dominus Psal. 110, 3. Et ut ille ait, non potest esse sincerum, quod coactum est, nec CHRISTO gratum, nisi quod voluntarium. Sed in hæreticos ad mortem usque favere, nihil aliud esset, quam animos hominum cogere velle, in quos tamen homo nullum habet imperium: Cogitationes enim animorum non ferro & vi externa, sed cogitationibus contrariis instillandis superantur: quam ob causam in jure Canonico nova & inaudita vocatur prædicatio, quæ verberibus exigit fidem, dist. 45. Quid autem.

Brasimus.

CLXXXV.

Et testatur experientia coactionem in religionis negotijs semper malè cessisse. Aut enim hypocritas fecit, qui pœnæ metu quidvis pro fide Catholica receperunt, aut tumultus privatos, publicasq; persecutiones excitavit, quas sæpenumerò veritatis divinæ hostes sub prætextu religionis susceperunt: quod exemplo Vandalorum in Africa, Gothorum in Italia, Arianorum in Græcia, Mahometanorū in Turcia probari posset, sicubi opus fuerit. Facile enim fieri potest, ut alienæ fidei socij ad fidem nostram coacti, versa rerum facie, simili crudelitate persequantur persecutores aut converfores suos, primos illius crudelitatis architectos.

CLXXXVI.

At enim, inquit novitius quidam crudelitatis Antichristianæ *ἡμετέρας ἀποστολῆς*: 1. Fateretur Christus, neminem venire ad se, nisi Pater traxerit eum, Iohan 6. 2. Si qui hoc pacto coguntur, non tam ad fidem

Sciop. Sealig.
Hypobol. p. 321.

ad fidem, quàm ad sollicitudinem fidei coactio fit, quod accidit credentibus hæreticis, & in errore stolidioribus, quos non tantum correptione, sed centum plagis, hoc est, pœnis ac incommodis compescendos esse ait.

CLXXVII.

Ad primum dico: Frivola prorsus argumentandi ratio ab actione DEI intra hominem, ad externam violentiam hominum. Trahit Deus hominum animos verbo suo tanquam verriculo & reti, quo ex nolentibus facit volentes, ut tandem externo quoque opere internam voluntatis suæ conversionem ostendant: Magistratus autem externa vi ferè nihil aliud efficere potest, quàm ut externis actibus se consentire simulent, animis plerumque semper repugnantibus.

CLXXXIX.

Alterum quod objicitur, inane cavillum est; non enim hoc quæritur, num, qui segniores sunt in fide, compescendi sint legitimis medijs, ut majorem fidei & salutis suæ curam habeant: sed num externa vi, præsertim capitali, qualis Inquisitoribus Hispanis familiaris est, cogendi sint, aut cogi possint: media longè meliora sunt, diligentior institutio; erroris, cui hætenus patrocinati fuerunt, denudatio; solida ejusdem refutatio, utilitatisque & certitudinis doctrinæ divinitus inspiratæ demonstratio. &c.

CLXXXIX.

Bellarminus aliam adfert instantiam, quasi illi, qui fidem veram nondum sunt amplexi, ad eam non sint cogendi: ij verò, qui in Baptismo eam sunt professi, sed jam resilierunt, cogendi sint, ut eam servant. Sed hæc distinctio nullo nititur fundamento: imò si quid dandum est discriminis, contrarium potius hoc in genere observandum esse docetur in parabola Luc. 14, 17, ubi qui jam erant intra Civitatem Domini, hoc est, Iudæi per Sacramentum circumcisionis in Ecclesiam recepti, humaniter invitantur ad cœnam magnam: Reliqui verò, qui foris sunt, intrare compelluntur.

CXC.

Sed ne tergiversari videamur, si coactionem intelligit civile, quæ fit gladio Magistratus politici, probanda ipsi erat tam temeraria adfertio: Si enim omnes, qui à fœdere Baptismi resiliunt, gladio feriendi essent, nemo hominum, ne quidem Magistratus ipse, aciem gladij effugere posset. De coactione verò Ecclesiastica seu Spirituali

nos quoque largimur : ea verò coactio fit, cum fædus, quod cum DEO inierunt, ipsis subinde inculcatur, delicti gravitas ostenditur, pœnæ subsecuturæ exaggerantur, & quæ similia ex Lege proponi possunt, quibus animi nondum prorsus indurati commoveri, & ad frugem reduci possunt : Fuisse autem homines ad servandam fidem DEO datam capitali pœna unquam coactos, vix ullo aliquo doceri potest exemplo.

CXCCT.

Hinc rectè & prudenter monuit D. Augustinus Epist. 127. *Onerosior est quàm utilior diligentia, quamvis magnum deseratur malum, & magnum teneatur bonum, cogi tantum homines, non doceri: & iterum corrigi eos volumus, non necari.*

CXCII.

Probamus ulterius institutum nostrum, ex testimonio Orthodoxæ antiquitatis, uti prolixè Tertulliani, Chrysoptomi, Cypriani, Hieronymi, Lactantij sententias & judicia de hac quæstione pro nobis adducere possemus : sed brevitati studentes, unicum tantum Augustinum consulimus arbitrum, cujus alioquin autoritatem in hac quæstione Pontificij, ut caput aliquod Medusæ, nobis objicere solent.

CXCIII.

Ex hujus igitur Epistolis (ut alia ipsius Scripta lubens præteream) in quibus ex professo hanc materiam tractavit, tria inprimis argumenta colligi possunt, quibus hæreticos interficiendos non esse, feliciter ostendit : ad epistolas enim suas ipsemet in hac quæstione provocat Epist. 158. ubi sic scribit : *Si Proconsul persistit, velle gladio vindicare, quanquam sit Christianus, & quantum advertere possemus, non sit ad hæc cruenta proclivis, tamen si necesse fuerit, etiam gestis jubete allegari epistolas meas, quas de hac re singulas vobis mittendas putavi.*

CXCIV.

Primum igitur argumentum petit ab utilitate ipsorum hæreticorum : quibus spacium resipiscendi dandū esse docet : posse enim Dominum infirma membra sanare, modo ne nimia impietate præcidantur. Ita enim scribit ad Donatum Africæ Proconsulem Epist. 127. *Ex occasione terribilium judicij ac legum, ne in æterni judicij pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec supplicij, quibus digni sunt, exerceri : sic igitur eorum peccata com-*

Tom. 2. fol. 641.

ta compesce, ut sint, quos poeniteat peccasse, &c. Cumque amice rogasset ipsum, ut potestatem occidendi se habere oblivisceretur; addit tandem: *Non tibi vile sit, neque contemtibile, fili honorabiliter dilectissime, quod nos rogamus, ne occidantur, pro quibus Dominum rogamus, ut corrigantur.*

C X C V.

Secundum petit ab honesto: Facere enim hoc ad servandam conscientiam nostram, & ad mansuetudinem Ecclesiae commendandam: qua de re ita scribit ad Marcellinum tribunum & notarium, Epist. 158. *Pœna sanè illorum, quamvis de tantis sceleribus confessorum, rogo te, ut præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter Catholicam mansuetudinem: Ipse enim fructus ad nos pervenit confessionis illorum, quia invenit Ecclesia Catholica, ubi suam erga atrocissimos inimicos servet, atque ex hibeat lenitatem.*

Tom. 2. fol. 718.

C X C V I.

Tertium, à diversitate Ecclesiastici & Politici regiminis: quod argumentum proponit his verbis Epist. 160. ad Apringium judicem: *De vobis quidem dixisse, Apostolum legimus, quod non sine causa gladium geratis. & ministri DEI sitis, vindices in eos, qui malè agunt: Sed alia causa est provinciae, alia est Ecclesia: illius terribiliter gerenda est administratio, hujus clementer commendanda est mansuetudo.* Quo in loco etsi ne quidem facinorosos, & contra Leges Politicas etiam peccantes, suo quodam fretus judicio (ne nimirum Martyrium pati viderentur, seu ut ipse loquitur Epist. 158. ne passiones servorum Dei, quæ debent esse in Ecclesia gloriosæ, inimicorum sanguine dehonestentur) vult interfici, satis tamen est, ostendere, quid ipsi fuerit animi in hac quæstione de interficiendis hæreticis, quales erant Circumcelliones, pro quibus isthæc scribebat.

Tom. 2. fol. 725.

C X C V I I.

Objiciunt autem, quotquot pro hæreticorum morte verba faciunt, Augustinum hanc sententiam suam retractasse; in quam rem allegant duo loca: Primum ex lib. 2. Retract. 50. ubi scribit: *Sunt duo libri mei contra partem Donatistarum. In primo libro dixi, mihi non placere ullius secularis potestatis impetum schismaticos ad communionem violenter arctari: & verè tum mihi placebat: quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas; vel quantum eis in melius mutantis conferre potest diligentia disciplina.*

G 3

Alter

CXCIIIX.

Alter locus extat Epist. 50. ad Bonifacium, ubi leges Imperatorum de tollendis hæreticis laudat, easq; in usum Donatistarum cessisse scribit, qui per eas correcti fuerint, & quotidie corrigantur, & se correctos esse, & ab illa furiosa pernitie liberatos gratias agunt: Idq; confirmat exemplo civitatis suæ Hipponis, quæ legum Imperialium timore coacta ad Catholicam veritatem fuit conversa. Ad utrumque aliquid dicendum est, ut de sententia Augustini aliquid certi constet.

CXCIX.

Quod ergò locum ex lib. Retract. attinet, observandū 1. quod ibi de morte verbum nullum, sed de arctatione seu coactione, quæ etiam alio modo, quàm per mortis violentiam fieri potest. 2. Non agit de hæreticis solum, sed de hæreticis, qui simul sunt Schismatici, hoc est, de ijs, qui non tantum errorem in fide alunt, & disseminant, sed insuper Schismata, tumultus & seditiones faciunt, sicut expressè scribit, sibi olim placuisse SCHISMATICOS ad communionem violenter arctandos non esse: ita enim ipse definit hæreticos Schismaticos, qui se ab alijs aliter sentientibus segregabant, illosque armis vexabant & impugnabant.

CC.

Tales erant olim Donatistæ & Circumcelliones, qui non tantum perniciosum in doctrina errorem fovebant, & hinc inde disseminabant, sed insuper armis & exquisitis suppliciorum generibus persequerentur Orthodoxos, quemadmodum Epist. 160. plus justo mitior fuit in eiusmodi Circumcelliones, qui presbyteros Orthodoxos pessimè tractaverunt, unum eorum exceptum insidijs trucidaverunt, alterum è domo raptum, oculo effosso, digitoque amputato truncaverunt.

CCLE.

Pro eiusmodi nebulonibus olim se ex caritate Christiana intercessisse scribit, cum nondum expertus esset, quantum mali auderet ipsorum impunitas: de hæreticis autem, quatenus simpliciter tales sunt, sine seditionis aut aliorum facinorum accessione, nihil tale habet: imò si retractare voluisset suam de non occidendis hæreticis sententiam, necesse fuisset, ut vel loca ea omnia, ubi eandem tractavit, recitaret, vel saltem communem propositionem istam,

istam, hæretici capite plectendi sunt, vel his vel alijs verbis, substitueret, quorum neutrum ab ipso factum fuisse, certum est.

CCII.

Clarius id patet ex Epistola 50. ad Bonifacium, quam Adversarij pro se allegant. Ibi enim primùm in genere dicit, Donatistas & Circumcelliones non propter hæresin, sed propter iniquitatem, & propter Christianæ unitatis impiam divisionem sublatos fuisse: deinde in specie longo catalogo recitat Donatistarum, & Circumcellionum scelera, & imprimis illorum, pro quibus apud Apringium Judicem intercesserat; qui presbyteris Orthodoxis oculos extinxerant, & cujusdam Episcopi manus & linguam præsciderant, nonnullos etiam trucidaverant, fol. 221.

CCIII.

Refert præterea, quomodo domos deprædati fuerint, per nocturnas aggressiones & incendia, non solum privatorum habitaculorum, verum etiam Ecclesiarum, in quas flammæ non defuisse scribit, qui & Codices Dominicos mitterent fol. 222. quomodo innocentium, qui eos offenderant, domus, aut deposuerint ad solum, aut ignibus cremaverint, fol. 214. quomodo Patresfamilias honesto loco natos, & generoso cultu educatos, vix vivos post eorum cædes abstulerint, vel vinctos ad molam, & eos in gyrum ducere, tanquam jumenta contemptibilia verberibus adegerint. ibid.

CCIV.

Addit insuper, sic laborasse eorum furorem, ut aut Orthodoxos occiderent, ut suæ crudelitatis pascere libidinem, aut etiam seipso, ne perdidisse videantur occidendorum hominum potestatem, fol. 212. per aquas & flammæ seipso occidere, quotidianum illis fuisse ludum scribit: Hæc enim eos tria mortis genera diabolum docuisse, ut mori volentes, quando non invenirent, quem terrerent, ut ejus gladio ferirentur, per saxa se mitterent, aut ignibus gurgitibusque donarent, fol. 214.

CCV.

Non sunt hæc hæreticorum opera, sed prædonum, sicariorum, sacrilegorum, parricidarum latrocinia, in quæ si pij Imperatores gravissimè animadverterunt, si Augustinus etiam de pristina clementia non nihil remisit, & in Imperatorum edica-

*Idea operum
Jesuiticorum.*

edicta consensit, nihil utrinque ab officio Christiani hominis factum est alieni. Hæreticos autem occidendos esse propter impiam, quam spargunt doctrinam, ex Augustino nunquam probari potest.

CCVI.

Civitatem Augustini quod attinet, ea quidem metu Legum Imperialium ad fidem Orthodoxam coacta fuit: Sed ista coactio plures fecit Hypocritas, quam veros Christianos, neque admodum diu duravit, sed quamdiu pœnæ metus: neq; enim omnes sunt Christiani, qui ore se tales profitentur; Dues cor hominis aspicit, externa professione non est contentus. Sed hæc de Augustini sententia sufficient.

CCVII.

Accedit denique pro adsertionis nostræ confirmatione consuetudo primitivæ Ecclesiæ, in qua ad fidem neminem coactum fuisse, Ecclesiastica testatur historia.

CCIX.

Socrates reprehendit hoc nomine Theodosium quendam Synadæ Civitatis Phrygiæ Pacatianæ Episcopum, quod cum non esset consuetudo Ecclesiæ Orthodoxæ, ut quenquam persequeretur, nihilominus tamen hæreticos persecutus fuerit, idque non zelo rectæ fidei, sed avaritia adductus pecunias ex hæreticis colligere studuerit: quo in genere annon Pontificij simile quid habeant, sapientes judicabunt.

CCIX.

Primus Imperator Christianus fuit Philippus Arabs, sub quo pestilens exorta hæresis est Helcesaitarum, qui ex universâ Scripturâ quædam approbabant, ac rursus quædam cum ex veteri tum ex novo Instrumento usurpabant, Apostolum prorsus rejiciebant, librum quendam circumferebant, quem cælitus delapsum, & si quis illum audiat ac credat; hunc peccatorum remissionem, aliam ab ea, quam CHRISTUS impertivit, accepturum dicebant, referente Origine in Psal. 82. neque tamen hos hæreticos ab Imperatore gladio sublato esse legitur.

CCX.

Sequebatur Christianissimus ille Imperator Constantinus Magnus, cujus Imperium incidit in illam Sectarum omnium Metropolin, Arianam videlicet, cumque & viribus valeret, neque qui hoc sua-

lib. 3. hist. cap. 7.

*Circa annum
Christi 247.*

*Euseb. lib. 6.
cap. 38.*

*Circa annum
Christi 325.
Socrat. lib. 1.
cap. 8.*

hoc suaderent destitueretur, noluit tamen hæresiarcham Arium durius, quàm exilio punire.

CC XI.

Theodosius Major mulctam pecuniariam in hæreticos sanxit, mortis autem pœnam dictare non fuit ausus, haud dubiè non intermissurus, si lege divina se ad id obligatum esse credidisset.

CCXII.

Theodosius Junior admodum commendatur à Socrate lib. 7 cap. 42. ob clementiam, quodque Proclum Episcopum Constantinopolitanum ideò habuerit in pretio, quod is placidus omnibus fuit hæreticis, & hoc se pacto eos magis, quàm violentia, attracturum præcogitavit.

CCXIII.

Cap. 29. idem Theodosius & Valentinianus Imperatores laudantur, quod Nestorij Novitij Episcopi sævitiam in hæreticos cohibuerunt: Nam cum Nestorius publicè alloqueretur Imperatorè his verbis insolentissimis: Da mihi, ò Imperator, terram ab hæreticis repurgatam, & ego tibi vicissim cœlum dabo. Disperde mecum hæreticos, & ego tecum disperdam Persas: memorat Historicus, Imperatores hunc ejus impetum admonendo cohibuisse: tandem etiam ipsius Nestorij famosam hæresin non morte, sed exilio vindicarunt.

CCXIV.

Ex his exemplis constat, quid primitivæ Ecclesiæ in more fuerit: Nam ante Theodosij tempora hæreticos capitali supplicio non fuisse adfectos, certum est: & quid de legibus Valentiniani & Martiani contra hæreticos promulgatis, sentiendum sit, supra Thesi 123. & sequent: dictum est.

CCXV.

Augustinus certè per integrum novennium in Manichæorum fuit hæresi: neque tamen legitur quenquam in ipsum igne aut ferro animadvertere voluisse, quod si factum fuisset, quanto Ecclesiæ doctore jam careremus? Ergo ex hoc etiam exemplo pristinæ Ecclesiæ consuetudinem videre licet.

CCXVI.

Quod si conciliorum autoritate in hac quæstione standum est; satis est, quod nobile illud & à plusquam trecentis Patribus collectum.

H

lectum.

*Circa annum
Christi 385.*

*Circa annum
Christi 435.
vide & Eusebium
lib. 7. hist.
Eccl. cap. 29.*

lectum Concilium Nicenum Arium legitime damnatum, non tamen Imperatori Constantino necandum tradidit; quod haud dubie factum fuisset à sanctis Patribus, si vel legi divinae vel sanctionibus Orthodoxae Ecclesiae fuisset consentaneum.

CCXVII.

Simile quid factum est in Concilio Coloniensi, Anno octavo Constantij Imperatoris, Christi 347. in quo omnium Episcoporum consensu Euphratas Arianus Episcopus Coloniensis, voce Maximi Trevorum praefidis proclamatus est blasphemus in Spiritum Sanctum eatenus, quod Christum negavit, & tamen capitis damnare ipsum non fuere ausi: sed *hanc mediocritas mea fert sententiam*, inquit praesul *sic ut Dei & Domini nostri Salvatoris ore prolata est: dicentis: Omnia peccata & blasphemia remittuntur hominibus; qui autem blasphemaverit Spiritum Sanctum, non remittitur ei, neq; hic, neq; in futuro, sed reus erit eterno iudicio: ideo Episcopum eum, manifestum est, esse non posse.* Contenti igitur fuerunt, ut ab Episcopatu removeretur.

CCXIX.

Idem omnino fecere omnes Synodi: nec usquam legitur, Synodale decretum haereticum in Synodo convictum, & damnatum tradidisse Magistratui. Primum hoc attentavit infelix illa Synodus Constantiensis Anno 1415, quae Iohannem Hussium & Hieronymum Pragensem, licet non convictos, sed ex recepta Papicolarum consuetudine pro haereticis proclamatos, quemadmodum olim Paulus Iudaeis dicebatur haereticus Act. 24. vers. 12. contra fidem datam politico Magistratui tradidit, ut comburerentur.

CCXX.

Haec ergo sunt praecipua adsertionis nostrae fundamenta, quibus stabilimus partim ex sacris Scripturarum dictis & exemplis; partim ex firmissima ratione, partim ex Orthodoxorum Patrum consensu, & primitivae Ecclesiae consuetudine; haereticos, quatenus tales, interficiendos non esse:

CCXX.

Ne tamen videamur, cum Epicureis nostris & latae Religionis hominibus, statuere quenquam posse, vel debere credere quidquid voluerit; ne etiam videamur haereticorum Patrocinium, per omnia in nos recepisse: restat nunc, ut paucis sententiam nostram de coercendis haereticis exponamus.

CAPUT

CAPUT VI.

Quomodo cohercendi sint hæretici?

CCXXI.

Hic verò ante omnia distinguendum est inter officia Episcoporum & Magistratus Politici: ea enim *disidia pariter* distincta esse oportet, aliàs intolerabilis rerum confusio in Ecclesiam introduceretur.

CCXXII.

Episcoporum seu Ministrorum Ecclesiæ officium quò ad hæreticos, triplex est juxta doctrinam Apostolicam. 1. Diligens inquisitio & observatio: hoc enim est cavere Pseudopphetas, attendere, ne fortè in sincerum doctrinæ Evangelicæ ministerium clanculum sese insinuent dolosi operarij, qui impietate doctrinæ seducant imperitiores: quod si de quibusdam conjectura est, sedulò observent, & inquirent in ipsorum studia & actiones, quemadmodum Apostolus hortatur Rom. 16, 17: *Rogo vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt.*

CCXXIII.

2. Alterum officium est admonitio semel atq; iterum repetita. Non enim oportet verbi ministros esse canes mutos, sed potentes ad redarguendum: ideoq; D. Paulus vult non unam saltem, sed & alteram adhortationem ad hæreticos instituendam esse. Tit. 3, 10, in qua & error ex Scriptura ostendendus, errans debita severitate objurgandus, & Ecclesiastica pœna tergiversanti interminanda est.

CCXXIV.

Hoc est, quod monemur Cant. 2. *Capite nobis vulpeculas, qua demoliuntur vineas: nam vinea nostra gemmas protrudit.* De quo loco ita scribit Augustinus Serm. 107. de temp. *Quid est Capite? id est, comprehendite, convincite, confutate, ne exterminentur Ecclesiastica vinea: quid est aliud vulpes capere, quàm hæreticos divinæ legis autoritate revincere, & sanctarum Scripturarum testimonijs veluti quibusdam vinculis alligare atq; constringere.*

H 2

3. Tertium

CCXXV.

3. Tertium est executio: quod si enim ne sic quidem aliquid efficitur, sed is, qui hæreseos ex Scriptura convictus, pertinaciter eam tuetur, tunc ad populum deferendus est, hæresis publice refutanda, & ut omnes ab ejusmodi homine tanquam seductore & perturbatore sibi caveant, sedulo monendum: hoc enim est hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem *παρηγορησας*, devitare, rejicere, & omne commercium ejus, quoad ejus fieri potest, fugere.

CCXXVI.

Quod si severiorem istam animadversionem adspernatus fuerit, neque Ecclesiæ judicium audiverit, tunc adhibeatur ultimum remedium, Ecclesiæ adhuc relictum, ut nimirum per excommunicationem legitimam, tanquam morbidum membrum ab Ecclesia rescindatur, juxta præceptum CHRISTI: Si Ecclesiam non audierit, sit veluti Ethnicus & Publicanus Matth. 18, 17: & hoc pacto Apostolus Paulus scribit, se Hymenæum & Alexandrum tradidisse Satanæ, ut discerent non blasphemare 1. Tim. 1, 20.

CCXXVII.

Hinc est illud Augustini quæst. 59. in Deuter. Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc (in V.T.) interfectio. Et lib. de fide & operibus cap. 2. Phinees Sacerdos adulteros simul inventos ferro ultore confixit: quod utique degradationibus & comminationibus significatum est, esse faciendum hoc tempore: cum in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerit gladius cessaturus. Et tantum Ecclesiæ minister faciat in coercendis hæreticis.

CCXXVIII.

Magistratus quatuor habet, quæ hoc in casu agat.

1. Curet ante omnia, ut ministerium Ecclesiæ sit purum, ab omni suspitione hæreseos alienum. Quam in rem publicis edictis, Scriptis & Confessionibus veram doctrinam compræhendere, & ad ministris publicorum Officiorum subscribendam proponere prodest.

CCXXIX.

2. Ne tam facile insinuare sese possint falsi Doctores, ministros suos in Politicis & Ecclesiasticis muneribus juramento religionis sibi devinciat, exemplo Iosue cap. 24, 25, qui percussit cum populo

populo suo fœdus, ut auferrent Deos alienos, & servirent Domino
D E O: Exemplo Joasi 2. Reg. 11, 17. qui per Jojadam summum Sa-
cerdotem pepigit fœdus inter se & Dominum, & inter se & popu-
lum: Exemplo Iosifæ 2. Reg. 23, 3. qui fœdus percussit coram Do-
mino, ut ambularent post Dominum, & custodirent præcepta ejus
& testimonia, & ceremonias in omni corde, &c.

CCXXX.

3. Ministros Ecclesiæ vel male viventes, vel impiè docentes,
officio deponat, aliosque & sinceritate doctrinæ & integritate vitæ
commendatos, accedentibus totius Ecclesiæ suffragijs, substituatur.

CCXXXI.

4. Falsæ doctrinæ disseminatores ab Ecclesiastico Ministerio
legitimè convictos, & tamen etiamnum vel voce, vel scripto alios
seducentes compescat, eosque vel carcere mulctet, ut & ipsi sapere
discant, & alijs molesti esse desinant: vel ad suos procul abire jube-
at, ut ad minimum sui territorij incolæ ab eorum veneno tuti esse
possint.

CCXXXII.

Quod si ad frugem revertantur severiore ista pœna correcti;
non est consultum, ut in piltrinum locum in Ecclesia restituantur,
ne ad vomitum redeundi occasionem habeant, sed inter Auditores
locus eis relinquatur, ut magis magisque errorem pristinum dete-
stari pergant, & in agnita veritate confirmantur.

CCXXXIII.

Quæ tamen vel carceris vel exilij pœna (si rem recta lance
appendamus) non puniuntur ut hæretici, sed ut turbatores pacis pu-
blicæ, & legum publicè promulgatarum temerarij transgressores:
siquidem ex Confessionibus & edictis publicis eos latere nequeat:
eam, quam propagant hæresin, in ista, unde excluduntur, regione
non tolerari.

CCXXXIV.

Quod si accesserint ad hæresin alia facinora, puta seditiones,
tumultus, insidiæ Magistratibus positæ, & si quæ sunt his similia,
qualia in Donatistis & Circumcellionibus tempore Augustini depræ-
hensa fuerunt, integrum erit Magistratui, ut & capitis pœnam de-
linquentibus decernat: tunc enim non ut hæretici, sed ut flagitiosi
puniuntur, & non in peccata primæ, sed secundæ tabulæ gladio ani-
madvertitur.

Volum. 3.
fol. 377.

CCXXXV.

Idem esto iudicium de blasphemis, qui absque fronte & manifestis verbis Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum blasphemant pertinaciter, quemadmodum eo nomine à Judæis interdum supplicium sumtum est, & Bernæ de Valentino Gentili, Genevæ de Serveto, non tam ut Sectario quodam (quemadmodum Beza scribit in vita Calvinii) quam ut de monstro ex mera impietate horrendisq; blasphemijs conflato, quibus totos annos triginta tum voce tum scripto cœlum ac terram infecerat.

CCXXXVI.

Verùm extra casum istum pius Magistratus à gladio sibi temperat: Errores enim non homines interficiendi sunt, & hoc pacto hæctenus in nostris Ecclesijs contra hæreticos processum fuisse, publicè constat: quod si alijs aliter placet; ipsi viderint: *Sanè nullis bonis unquam in Ecclesia placet, si usque ad mortem in quenquam licet hæreticum sæviatur*, ait Augustinus lib. 3. contra Crescon. Grammat. cap. 50.

CCXXXVII.

Longè alius observatur processus in papatu, ubi non in Doctores, sed auditores, & simplicissimum vulgus promiscuè animadvertitur; non cognita causa, sed audito saltem hæretici nomine, ad ignem, ad furcam, ad equuleum properatur; non admonitio instituitur una atque altera, sed inquisitio & proditio, exemplo Judæorum, qui suos quoque habuerunt Corycæos & emissarios Ezech. 22, 9. Ose. 6, 9. Luc. 20, 20. Joh. 7, 32. neque semper expectatur, donec in manus Magistratus incidant, sed per literas sanguinarias eos expiscantur, præ nimia siti sanguinis verè Christiani, quemadmodum olim Semeias contra Jeremiam ejusmodi literas scripsit ad Sacerdotes Hierosolymitanos Jerem. 29, 26. & Saulus spirans minas, & cædes à Principibus Sacerdotum epistolas accepit ad Synagogas, ut quos inveniret Christianos caperet, Act. 9, 2. & tandem non in homines tantum sævitur, sed & in ædificia publica, quæ more Circumcellionum diruunt & deprædantur, eoque nomine quasi re benè gesta gloriantur, dicentes cum illis Pseudoprophetis: *Benedictus sit Dominus, divites facti sumus. Zach. 11, 5.*

CCXXXVIII.

De hoc modo inquirendi in hæresin & hæreticos, nihil habet
universa

universa Scriptura sacra, nihil præscribunt jura humana: & ne quidem Ethnicis Imperatoribus Christianos propter fidem persequentibus in more fuit. Nam Trajanus Imperator ad consultationem Plinij secundi rescribens, quamvis puniri jubeat Christianos, si deferantur & arguantur, tamen prohibet eos conquiri, & libellos delatorios sine autore propositos, vetat locum habere, eò quòd pessimi sint exempli, neque illius seculi. Plinius quoque persecutionis istius exsecutor, hæsitasse sese scribit, num nomen ipsum Christianorum, etiamsi flagitijs careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Quæ omnia susque deque habentur à Romanensibus, hodiernis Ecclesiæ persecutoribus.

CCXXXIX.

Sed hanc tyrannidem autoribus suis defendendam relinquimus, qui exemplo illius Theodosij, cujus Socrates meminit, non zelo rectæ fidei, sed avaritia adducti pecunias ex hæreticis colligere student: nos eo modo, quem paucis thesibus delineavimus, hæreticorum malitiæ obviam iri, & Ecclesiæ salutem promoveri posse, speramus: quod si omnibus omninò resistere non valemus, meminerimus illud Apostolicum: *Oportet hæreses esse inter vos 1. Cor. 11.* faciat interea & ministerium Ecclesiasticum & Magistratus Politicus, quod sui est officij, de cætero Dominus providebit.

F I N I S



Vide Plin. l. 10.
Epist. 97. 98.
Tertul. Apol.
cap. 2.
Euseb. l. 9. hist.
Eccles. cap. 31.

lib. 3. hist. cap. 9

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a series of entries.

T I N I S



05 A 2059


ULB Halle 3
003 784 797



VDTA









B.I.G.

Farbkarte #13





 ologica



TICIS

ODO

DER-

Academia

BALDUINO

 e & Profef-

 elia P. & S.

nte

ALBANO


 ano.

loco solitis.

R G Æ,

 er Ioh. Gorman.

VIII.



8

